DE

VALERI FLACCI
DICENDI GENERE QUAESTIONES.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXIX MENSIS IUNII A. MDCCCLXXII.

IN PUBLICO DEFENDET

MATTHIAS SCHMITZ,

PRESBYTER COLONIENSIS.

MONASTERII,

EX TYPOGRAPHIA FRID. REGENSBERG.

MDCCCLXXII.

V. R.

LAMBERTO KEMPEN

PAROCHO FROITZHEMIENSI OPTIME MERITO

AVUNCULO CARISSIMO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VULT

SCRIPTOR.

Quum Valeri Flacci Argonauticis accuratius operam dedissem, id mihi persuasum erat, si in quo alio, in Valerio artem criticam cum maxima cautione exercendam nimiumque mutandi studium quam maxime reprimendum esse, atque id duplicem potissimum ob causam. Primum enim, licet quæstio illa, utrum quatuor fere libri, qui carmini Valeriano desunt, temporum iniuria perierint, an Valerius morte præpeditus sit, quominus rem sibi propositam ad finem perduceret — id quod multo verisimilius est [1] — ob testimoniorum inopiam certo diiudicari nequeat, tamen hoc certissimum est, octo libros, qui supersunt, minime ita perfectos ac perpolitos esse, ut non multa in iis inveniantur negligentius dicta, in quibus de codicum corruptela cogitari non potest, quæque Valerius, si carmen suum retractasset, sine dubio emendaturus fuisset. In quorum numero habeo ea, quæ III. 598 sq. leguntur, quem locum, ut mihi quidem videtur, frustra coniecturis temptaveris [2].

Altera causa in singulari dicendi ratione, qua Valerius utitur, posita est. Nam et nimis audax est in verborum collocatione, et nimis brevi et abrupto loquendi generi sæpe studet, quo fit, ut sententia nonnunquam maxima obscuritate laboret, ubi non emendatione, sed recta explicatione opus est, velut I. 501 [3]; III. 640 [4].

Quum igitur maximi momenti sit, Valeri dicendi rationem penitus cognoscere, nonnullas quæstiones, quæ ad verborum collocationem et ad dicendi brevitatem potissimum spectant, quibusque vires nostræ sufficere videbantur, tractandas nobis proposuimus, confisi, etiam levissimis rebus ad plenam scriptoris cognitionem aliquid utilitatis inesse. Quodsi quid in uno et altero loco rectius explicando profecimus, abunde præmii nobis percepisse videbimur.

[1]) Uberius hanc rem tractat Thilo proleg. pag. XXVI sq. — [2]) v. infra pag. 37; cf. pag. 31. — [3]) v. pag. 18; cf. pag. 15. — [4]) v. pag. 39.

INDEX VERSUUM,

qui paullo uberius infra tractantur.

I.

De præpositionum collocatione.

Ubi de liberiore, qua poetæ in præpositionibus utuntur, collocatione quæstio instituitur, inprimis distinguendum est inter eas præpositiones, quæ adverbiorum quoque vim obtinere ideoque ab omni substantivi casu seiunctæ adhiberi possunt, in quem numerum præpositiones dissyllabæ potissimum referendæ sunt, et eas, quæ nonnisi substantivo alicui inhærentes inveniuntur, quæque proprie præpositionum nomen obtinent. Apparet enim, priores illas, quum per se iam plenum et integrum sensum habere possint, liberiorem collocationem, ubi substantivo adiunguntur, facilius admittere et præcipue longius ab eo separari posse. De præpositionibus vero propie dictis Reisigius[5]) ita loquitur: «Die eigentlichen Præpositionen können nicht ihrem casus nachgestellt werden, auch nicht gesondert von demselben stehen; sondern sie müssen entweder unmittelbar vor ihrem nomen, oder wenn zu dem nomen ein Prädikat gesetzt ist (i. e. adiectivum vel pronomen demonstrativum), zwischen dem Objekts- und Prädikatsbegriff stehen; dasselbe gilt, wenn das nomen einen Genitiv bei sich hat».

Primum igitur pœtarum in collocandis præpositionibus licentia in eo cernitur, quod præpositiones, sive casum præcedunt, sive sequuntur, longius ab eo aliis vocabulis interpositis separare et removere solent. Neque enim solas particulas, quæ sententiarum nexui inserviunt, sed alias quoque orationis partes sæpius interponunt. Qua licentia Valerius ita nonnunquam usus est, ut præpositio vel integro versu a substantivo, ad quod pertinet, seiuncta sit. Talis separatio melius ferri potest, si præpositio attributo substantivi velut adiectivo, pronomini vel saltem genitivo adhaeret; cf. I. 160: «Aegaei super effugit alta profundi»; III. 706: «aspera nunc pavidos contra ruit agna leones?» ubi et verbum finitum et subiectum intercedit; II. 664:

---

[5]) v. Vorles. über lat. Sprachw. §. 402, cf. §. 137.

« sic ait hasque inter variis nox plurima dictis rapta vices », quæ paullo audacius dicta sunt, nam præter verbum finitum et subiectum alia quoque vocabula inter præpositionem et casum locum habent; recta enim verborum series hæc est: « hasque inter vices nox plurima variis dictis rapta (sc. est) ». Eodem modo etiam præpositiones monosyllabas sæpe seiunctas habes, velut I. 314: « prora funem legit Argus ab alta »; ibid. 404: « prora splendet tua cuspis ab alta »; ibid. 597: « nuntius hunc solio Boreas proturbat ab alto »; III. 224: « fundo veluti cum Cœus in imo »; VII. 623: « ad diræ quam cum Tirynthius hydræ agmina »; VIII. 288: « quæque die fuerat raptim formata sub uno ». Nusquam vero has præpositiones ita positas invenies, ut et a substantivo et ab eius attributis prorsus separatæ sint [6]). Quum enim nisi cum casu aliquo coniunctæ sensum non habeant, eas in externa quoque verborum serie aliquo saltem modo cum illo cohærere necesse est.

Plane alia præpositionum dissyllabarum ratio est, quæ adverbiorum vi positæ iam per se certam determinatamque sententiam habere possunt. Quapropter interdum, ut Reisigius [7]) recte monet, fieri potest, ut eiusmodi voci falso præpositionis notio tribuatur, ubi re vera adverbii vice fungitur. Sic, ut e Valeri carmine exemplum afferam, in iis, quæ IV. 46 leguntur: « it super ægra parens queriturque tumentibus undis » dubius esse possis, utrum vox *super* præpositionis vim habeat et cum sequentibus vocabulis: « tumentibus undis » coniungenda sit, necne. Burmannus quidem eam adverbium et quæ sequuntur dativum casum esse vult, Ovidii locum allegans, qui fast. V. 233 hæc habet: « ibat, ut Oceano quereretur facta mariti ». Quæ explicatio in Valeri loco admitti posset, si verbum querendi non absolute positum esset; nam etsi optime dici potest: facta alicui queri, i. e. inter querelas narrare, tamen apte dici nequit simpliciter: alicui queri. Præterea hoc loco verbum querendi paratactice additum est pro participio, nam « it queriturque »

---

[6]) Una præpositio per, si in obsecrationibus adhibetur, excipienda est, de qua infra. — [7]) v. l. c. §.

idem valet, quod: querelas effundens it. Multo igitur meliorem sententiam accipies, si ita hæc verba coniungis: it queriturque ægra parens super tumentibus undis. Similiter Vergilius Aen. I. 29: «super iactatos aequore toto» pro: iactatos super æquore toto.

Præter præpositionem *super* præpositiones *contra*, *iuxta*, *inter* a Valerio sæpe nimis a substantivo removentur. Exempla habes his locis. Præpositio *contra:* VI. 216: «meque venit contra»; I. 663: «contraque ruenti aut Athon aut Rhodopen . . . æmulus», ubi verborum ordo paullo obscurior est. Quæ verba hoc modo, ut iam Heinsius vidit, transponenda sunt: «æmulus (Jovi) ruenti, i. e. fulmina iaculanti, contra Athon aut Rhodopen». Vaticanus enim habet «ruente», quod a nonnullis, ut ab Aug. Wagnero in accusativum «ruentem» mutatum est, tamquam ex præpositione «contra» penderet. Eodem modo verbum ruendi præpositionem *contra* statim subsequitur III. 706: «aspera nunc pavidos contra ruit agna leones?»

Præpositio *iuxta:* V. 187: «quem comes infelix *pariter*[8]) de marmore iuxta stat soror». Hoc loco tot vocabula inter casum et præpositionem intercedunt, ut ille in initio versus, hæc in eius fine posita sit. Optime comparari potest Aen. VI. 451: «quam Troius heros ut primum iuxta stetit».

Præpositio *inter:* V. 375: «nec minus inter ille tot ignoti socias gregis hæret in una»; VIII. 227: «Minyas nunquam magis eminet inter», quam præpositionis collocationem profecto nemo non vituperabit; cf. II. 664, quem locum iam supra attulimus: «sic ait hasque inter variis nox plurima dictis rapta vices».

Iam vero in hac collocandi ratione id inprimis observari

---

[8]) Sic scripsi ex Meynckii coniectura (v. Rhein. Mus 22. Jahrg. S. 364 fg.), quæ mihi quidem certissima videtur, pro corrupta codicum scriptura p a r v o; cf. I. 96: „at Iuno Argolicas pariter Macetumque per urbes spargit . . .“; ibid. 296: „hunc gravis Aeson et pariter vigil Alcimede“; ib. 408: „ut socius caro pariter meditetur Achilli fila lyræ“; etc. Nam coniectura P a r i o, quæ vulgo in editionibus legitur, ut iure Meynckius observat, inepta est neque iis, quæ II. 466 leguntur, defendi potest.

potest, plerumque verbum finitum interponi et ita quidem, ut præpositioni proxime subiciatur, velut: super-effugere, contra-ruere, iuxta-stare. Præpositio enim verbo finito vel participio tamquam attrahitur, simili ratione, qua innumera illa verba composita nata sunt, ut adire aliquem pro: ad aliquem ire. Quæ attractio manifestior est in præpositione *super*, cf. I. 160: « Aegæi super effugit alta profundi » et III. 554: « intactas levis ipse superfugit undas »; I. 317: « vox tamen Alcimedes planctus super eminet omnes » et V. 367: « iam Talaum . . . ipse egregio supereminet ore ».

Nota est deinde singularis illa licentia, quæ in præpositione *per* locum habet, ubi in precibus et obsecrationibus adhibetur [9]; nonnunquam enim, etiam a Cicerone, a substantivo omnino separata ponitur. Qua in re poetæ præterea attractione, quam vocant, usi substantivum enuntiato hypothetico vel relativo inserunt, ita ut præpositio grammatice nihil habeat, quo referatur; cf. v. gr. Aen. II. 142: « per si qua est quæ restet adhuc mortalibus usquam intemerata fides », pro: per intemeratam fidem. si qua est, quæ etc. Hanc dicendi rationem Valerius imitatus est VII. 266: « per tibi si quis, ait, morituri protinus horror », pro: per horrorem, i. e. commiserationem, si quis tibi est morituri.

Alia poetici sermonis proprietas in eo consistit, ut præpositio, quæ ad duo substantiva particula copulativa inter se coniuncta pertinet, posteriori soli addatur. Quo de usu Reisigius [10]) hæc habet: « Dabei ist zu bemerken, dass Verschiedenheit der Begriffe in den nominibus der Sache nach nothwendig ist bei solcher Construktion, und dass wo sie wesentlich als identisch betrachtet werden, dieselbe nicht angewandt wird ». Quod recte iudicatum est, si præpositio statim post particulam copulativam posita alterum substantivum præcedit; tali enim verborum ordine, dummodo recte adhibitus sit, indicatur, aliquid novi vel quod aliquo saltem respectu a priore membro diversum sit, addi. Nihil autem obstat, quominus præpositio duobus

---

[9]) v. Krüger, lat. Sprachl. §. 691 A. 1. — [10]) v. l. c. §. 418.

substantivis prorsus idem significantibus omnino postponatur. Quum enim eiusmodi substantiva arcte coniuncta tamquam in unam vocem coalescant, præpositio eodem modo postponi potest, quo singulis vocibus interdum postponitur, neque substantiva illa recte ita separari possunt, ut præposito inter particulam copulativam et substantivum secundo loco positum intercedat. Quamobrem Vergilius Aen. III. 75 optime dicere potuit: « oras et litora circum », quia oræ et litora hoc loco plane idem significant; minus recte dixisset: oras et circum litora.

Quum hæc collocandi ratio nihil aliud sit quam quoddam anastrophes genus, facile intelligitur solas præpositiones dissyllabas, præsertim eas, quœ localem vim habent, sic adhiberi. Neque raro eiusmodi anastrophe, sive substantiva quæ præcedunt eiusdem, sive diversæ notionis sunt, neque apud solos poetas invenitur; hac enim ratione scriptores id assequuntur, ut iam ipso verborum ordine præpositionem ad utrumque substantivum referendam esse satis indicetur; cf. Tacitum, qui in libris ab excessu divi Augusti præpositiones *inter, coram, simul* sæpius ita postponit, v. I. 60; IV. 8; 55; XV. 61 [11]). Similiter Horatius præpositionem *propter* I. sat. 3, 100: « glandem atque cubilia propter », et Vergilius præpositiones *circum, inter, subter* Georg. II. 382: « pagos et compita circum »; ibid 345: « frigusque caloremque inter »; Aen. XII. 352: « lora et iuga subter ». Valerius præpositionem *iuxta* sic adhibuit II. 193: « accubat attonitum Phlegyan et Thesea iuxta ». Eadem præpositio inter adiectivum et substantivum secundo loco positum intercedit VI. 149: « Scythicis quem Jupiter oris progenuit viridem Myracen Tibisenaque iuxta ostia ».

Sæpius vero præpositiones monosyllabas posteriori substantivo soli additas invenies, quæ quum anastrophen non admittant — saltem nullo attributo subsequente — aut præmittuntur, aut inter substantivum eiusque attributum locum habent.

Iam vero si exempla, quæ e pœtarum scriptis afferuntur, accuratius inspicis, id in promptu est, vocibus illis, quibus præ-

---

[11]) v. Dræger, Syntax und Stil des Tacitus, pag. 77, 7.

positio adiuncta est, plerumque locum significari, vel ubi aliquid fiat, vel — id quod sæpius fit — in quem motus qui verbo inest tendat. Unde intelligitur præpositionem *in*, sive cum ablativo, sive cum accusativo coniunctam, et *ad* inprimis sic adhiberi. Quod mirum esse nequit, nam et solus ablativus casus a poetis ponitur ad locum indicandum, ubi aliquid sit vel fiat, et solus accusativus, ut finis exprimatur, in quo motio terminetur [12]; quo fit, ut præpositio in priore membro minus desideretur ac facile cognosci possit, quid casus iste sibi velit.

Iam nonnullis exemplis rem illustremus. Præpositiones *ad* et *in* terminum motus indicantes a Valerio posteriori subsantivo soli adiunctæ sunt I. 576: «continuo Aeoliam Tyrrhenaque tendit ad antra»; ib. 716: non Scythicas ferus ille domos, nec ad ostia Ponti tendit iter»; VIII. 375: «latus inde sinistrum adversamque procul Peuces defertur in oram. Cum quibus locis comparare potes Aen. V. 512: «illa notos atque atra volans in nubila fugit»; Hor. carm. III. 25, 2: «quæ nemora aut quos agor in specus?» Catull. 33, 5 (ed. Teubn.): «cur non exilium malasque in oras itis?» Lucret. IV. 145: «sed ubi aspera saxa aut in materiam ligni pervenit».

Præpositionem *in* subsequente ablativo casu Valerius sic posuit VI. 615: «neque parte ferox nec cæde in una»; cf. Vergil. VI. 415: vatemque virumque informi limo glaucaque exponit in ulva»; ibid. II. 654; Ovid. met. VII. 708; Lucret. III. 621; V. 128.

Præterea præpositio *per*, ubi viam indicat, per quam motio quæ verbo inest dirigitur, nonnunquam alteri tantum substantivo additur. E Valeri carmine huc pertinet VI. 147: «abeunt Hypanin fragilemque per undam»; cf. Aen. VI. 692: «quam ego te terras et quanta per æquora vectum accipio» et ibid. VII. 296: «medias acies mediosque per ignes invenere viam». Is quoque accusativi usus explicatur noto illo Græcorum loquendi genere: *ἰέναι μεσόγαιαν, πορεύεσθαι πεδίον, ὄρη* et similia [13]),

[12]) Quod ad accusativum attinet ex Valeri carmine huc faciunt I. 843: „devenire silvas“; II. 301: „advenire locos delubraque sæva“.

[13]) v. Krüger gr. Sprachl. I. §. 46, Anm. 2.

quod ne a latinis quidem poetis alienum est, cf. Valerium IV, 336: «freta curre» pro: per freta curre [14]).

Aliæ præpositiones monosyllabæ, quibus notio localis non inest, rarius hoc modo adhibentur, ut præpositio *per* Aen. VIII, 143: «his fretus non legatos neque prima per artem temptamenta tui pepigi", i. e. neque per legatos neque per artem etc. et præpositio *cum* Hor. ep. II. 1, 25: «fœdera regum vel Gabiis vel cum rigidis æquata Sabinis» pro: vel cum Gabiis etc. Apud Valerium eiusmodi exemplum non inveni.

Quodsi causam inquiris, cur poetæ potissimum, exquisitiorem hanc collocandi rationem admiserint, tantum abest, ut sola metrica ratione ducantur, ut sermoni maior inde vis et elegantia addatur. Tali enim præpositionis collocatione singula membra, in quorum medio præpositio posita est, distinctius proferuntur, quo fit, ut mens legentis in singulis diutius moretur necesse sit.

Ceterum hoc moneo, minime recte dici præpositionem per ellipsin in priore membro omissam esse; immo dicendum est, poetas magna, quam in collocandis præpositionibus sibi sumunt, libertate ductos interdum præpositionem, ubi nulla ambiguitas exoriri potest, ita ponere, ut ad alterum membrum solum pertinere videatur.

Alia præpositionis collocandæ ratio, ubi duobus substantivis attribuitur, ea est, ut inter prius substantivum et particulam copulativam intercedat. Quod tum potissimum locum habet, quum sententiæ vis in priore substantivo posita est, et alterum nonnisi ad rem amplificandam additur. Cuius rei apud Valerium plura exempla exstant, velut I, 45: «hospita vina inter et solemnia», ubi vocabula «hospita vina» aptissime præmittuntur, quia cædes Phrixi (de hac enim poeta loquitur) eo detestabilior est, quod inter hospitale convivium commissa est. Idem dicendum est de II. 481: «amplexus inter planctusque parentum»; similiter Vergilius Aen. II. 681: «manus inter mæstorumque ora paren-

14) Similiter Vergil. Aen. III. 191 et V. 235: „currere æquor"; v. hac de re Rantz, der accusativus bei Vergil; I. Theil; Progr. von Düren 1871 S. 7.

tum». Alia exempla in Valeri carmine habes VI. 595: «Minyas inter proceresque Cytæos»; VII. 358: «nives inter tristesque pruinas», cf. Aen. II. 632: «flammam inter et hostes expedior». Præpositionem *super* Valerius ita posuit VI. 524: «horrentia cuius discolor arma super squalentesque ære lacertos chlamys ardet».[15])

Quod deinde ad anastrophen, quam vocant, attinet, quum sit res poetis usitatissima, satis erit exempla, quæ in Valeri carmine reperiuntur, breviter et ex ordine enumerare. Præpositiones monosyllabæ substantivo sæpissime postponuntur subsequente adiectivo, velut *in:* I. 147; III. 224; IV. 23; V. 68; VI. 546; — *ab:* I. 314, 404, 597; — *per:* I. 286; III. 135; IV. 675; VI. 32; VIII. 182; — *ad:* I. 726; III. 359, 616; — *sub:* VIII. 288; — *de:* III. 619; — *super:* I. 317; — aut subsequente genitivo vel appositione: I. 537: «quæ virginis æquor ad Helles; IV. 465; «nomen ad sororis»; V. 593: «spoliis in tigridis»; VI. 24: «labores per maris»; VII. 418 «te sub teste»; V. 210: «dextra sine versa magistri».

Præpositiones pronomini relativo vel demonstrativo [16]) nullo substantivo subsequente postpositæ sunt: *super:* III. 109, VI. 88 — *propter:* VII. 315, 351; — *penes:* IV. 16; V. 14; — *inter:* VI. 155; — *contra:* VI. 373; — *circum:* VI. 66; — *iuxta:* V. 187 — vel pronomini personali: *sine:* I. 765, V. 44, VII. 475, VIII. 433; — *propter:* IV. 560, VIII. 46; — *contra:* VI. 216.

Præpositiones dissyllabæ substantivo eiusque attributis, si quæ habet, omnino postpositæ sunt: *super:* II. 627: «illius aras urbe super vident»; — *supra:* III. 137: «ruit facem supra»; IV. 10: «media æquora supra»; VIII. 152: «ire ratem supra»; — *contra:* I. 151 et IV. 94: «nubila contra»; IV. 165: «Amycum contra stetit»; VII. 362: «stat fulmina contra»; — *circum:* VII. 526: «sua vellera circum»; — *circa:* IV. 759: «virum circa»; — *inter:* VIII. 227: «Minyas nunquam magis eminet inter».

---

[15]) Multa huiusmodi exempla apud Tacitum inveniuntur v. Draeger l. c. pag. 76, 3. — [16]) v. hac de re Krüg. lat. Sprachl. §. 690 A. 1.

II.

De coniunctionum collocatione.

Quum omnes poetæ, tum inprimis Valerius Flaccus in particulis, quibus membra orationis copulantur, transponendis magna libertate utitur, et ita quidem, ut nonnunquam sententia inde obscura evadat.

Ac primum quidem particulæ *et, ac, atque,* quæ præmitti solent, a poetis primæ voci vel pluribus etiam postponuntur. Itaque particulam *et* in Valeri libris sexcenties primo vocabulo postpositam invenies, veluti: I. 119, 320, 370, 378, 440, 461, 571 etc.; similiter particulam *atque* VI. 599 et *ac* VIII. 400. Intricata est etiam verborum series II. 53: «quanta quotiens et Palladis arte», nisi mavis cum Heinsio scribere: quotiens et quanta.

Particula *que* deinde secundo vocabulo adhæret VI. 546: «laudibus inque ipsis» pro: in laudibusque vel inque laudibus ipsis. Valerius enim hanc particulam præpositioni, non substantivo adiungere solet, cf. IV. 14: «inque vagi libavit tempora nati»; VI. 533: «inque Dei latuit terrore Lycæi»; ib. 616: «inque omnes pariter furit»; VII. 33: «inque ipsa morantis prosilit ora viri»; VIII. 286: «perque rates».

Interdum particula *que* longius etiam ab initio removetur. Qua de re Krügerus [17]) hæc habet: «Die Dichter schliessen das *que* oft dem verbum des zweiten Satzes an, wenn dieses dem verbum des vorhergehenden Satzes gegenübersteht; z. B. Tibull I. 1, 39: «fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis pocula de facili composuitque luto». Idem dicendum est, si duo adiectiva vel participia hoc modo inter se coniunguntur; ut apud Valerium I. 420: «taurea vulnifico portat cælataque plumbo terga Lacon» i. e. taurea et vulnifico plumbo cælata terga portat, nam ablativus ille ad solam vocem *cælata* referendus est.

Particula *neque* similiter vocem, ad quam pertinet, sequitur II. 355: «Veneri nec»; III. 401: «sidereos nec»; IV. 716: «ge-

---

[17]) v. l. c. §. 533 A. 7.

minis nec» etc. Secundo vocabulo postposita est I. 521: «agmina iungere . . . abnuit Inoas ultor nec venit ad aras» pro: nec Inoas ad aras ultor venit. Singulari modo hæc particula posita est VIII. 225: «erigit aras incipit Idaliæ numen nec spernere divæ». Nam hoc loco particula copulativa, qua verba: incipit etc. adiunguntur, post tertiam vocem posita cum particula negativa, quæ soli spernendi verbo adhæret, arcte coniuncta est. Verborum igitur ordo hic est: et incipit Idaliæ divæ numen non spernere (i. e. colere). Contrariam rationem secutus est Valerius VI. 25: «ignotis quid opus concurrere nec quos oderis?» ubi particula negativa a debita sede remota est pro: et quos non oderis; cf. IV. 179: «non quæ dona deum, non quæ trahat ætheris ignem» pro: quæ non etc.

Particulam disiunctivam *aut* sæpius postpositam habes, velut II. 181: «urbem aut»; IV. 103: «non fœdera legum ulla colunt placidas aut iura tenentia mentes» quæ dicta sunt pro: aut iura placidas mentes tenentia. Tertio vero loco posita est V. 164: «æthereas ceu Jupiter arduus arces impulerit imas manus aut Neptunia terras» pro: aut imas manus Neptunia terras. Particula *seu* pariter tertium locum obtinet VII. 97: «hauriet adverso seu crastinus ignis hiatu».

Præcipue autem Valerius audax est in collocatione particulæ adversativæ *sed*, quæ orationis partibus sæpe ita inseritur, ut verborum series omnino vitiosa sit. Quod iam Thilo [18]) monuit, ubi de v. 318 l. VIII. sic loquitur: «Valerius hoc loco particulam *sed* tertio loco posuit, quare oratio tam obscura facta est, ut versus ille haud paucis coniecturis temptatus sit; sic autem verba sese excipiunt: sed haud ita segnis Juno summo æthere sedet».

Vide quam contorte Valerius hæc verba in versum redegerit: «haud ita sed summo segnis sedet æthere Juno». Thilo l. c. comparat VII. 160: «illa nimis sed dura manet» pro: sed illa nimis dura manet. Addi possunt: I. 236: «patiens sed quæ ratis»; III. 194: «brevis hanc sed fata ferentem prodidit . . .

---

[18]) v. proleg. p. XXI.

luna» pro: sed brevis luna hanc fata ferentem etc., IV. 544: «fidere mens sed nostra nequit; VI. 653: «Aesoniæ vultus fatale sed hastæ». Ipsi verbo finito *sed* postpositum est VII. 174: «data continuo sed cingula soli nostra tibi» pro: sed continuo cingula nostra tibi soli data sunt; et II. 150: «picta manus ustoque placet sed barbara mento» pro: sed barbara picta manus (i. e. quæ manus pictas habet) ustoque mento placet. In libro deinde IV, v. 483 hanc particulam vel sexto loco positam haberes, si id quod omnes editiones exhibent, recte se haberet: «nec casus, ab alto ipse volens nostris sed vos deus appulit oris», quæ verba ab omnibus ita distinguuntur, ut vocabula *ab alto* ad ea, quæ sequuntur, referenda sint. Sed Phil. Wagnerus[19]) iure, ut mihi videtur, monuit, vocabula illa rectius ad præcedentia referri, ac propterea signum distinctionis post vocem *alto* ponendum esse. Sic igitur verba coniunge: nec casus ab alto vos appulit, sed ipse deus volens vos nostris oris appulit.

Alia proprietas, quam poetæ in collocatione coniunctionum admittunt, in eo posita est, ut coniunctionem ita transponant, ut inter eam et illam vocem, quæ adiungitur, alia vocabula, præsertim, quæ utrique membro communia sunt, intercedant.

Tali ratione inprimis coniunctiones *-que*, *-ve*, quæ encliticæ vocantur, transponuntur, et plerumque ita, ut verbum finitum interponatur, cf. ut exemplo utar, Valer. Fl. II. 431, ubi navigatio describitur: «tunc Lemnos transitque Electria tellus», pro: tunc Lemnos et Electria tellus transit. Hac verborum collocatione tota sententia tamquam in duas dividitur, sequenti modo: tunc Lemnos transit transitque Electria tellus. Et revera Reisigius[20]) ita de hoc usu loquitur, quasi per ellipsin explicandus sit; hæc enim sunt eius verba: «Eine andere dichterische Construction ist die, wo zwei Sätzen ein gemeinschaftliches verbum gegeben wird, und dieses in die Mitte der übrigen Worte gestellt, *que* empfängt, wodurch das Doppelte der Sätze mit gemeinschaftlichem verbum erst gebildet wird, so dass man das

---

[19]) v. Philol. Jahrg. XX S. 638. — [20]) v. §. 233.

verbum eigentlich doppelt denken soll, nämlich noch einmal vor *que*». Attamen non recte dici potest, verbum per ellipsin ad prius membrum addendum esse; recte enim Krügerus monet[21]: «dass aber diese Stellung des *que* nicht eigentlich auf einer in Gedanken stattfindenden Ergänzung des verbi im ersten Gliede beruht, ergibt sich aus der Anhängung desselben an andere Wörter des zweiten Gliedes». Revera enim hoc loquendi genus non aliunde explicandum est, quam ex magna libertate, qua poetæ in postponendis transponendisque particulis utuntur. Ut enim præpositiones interdum a voce sua aliis vocabulis interpositis separantur, eodem modo particulæ copulativæ, disiunctivæ aliæque, aliis quam ad quas proprie pertinent, orationis partibus attribuuntur. Quod autem fere verbum finitum interponitur, mirum esse non potest; sic enim, ut Dillenburger[22] observat, species aliqua constructionis *ἀπὸ κοινοῦ* efficitur, nimirum ut unum vocabulum utrinque trahatur. Neque casu vel metri ratione adducti poetæ hanc licentiam sibi sumpserunt, nam hoc collocandi genere id assequuntur, ut singula membra, quæ coniunguntur, magis inter se distinguantur, et mens legentis in singulis magis commoretur, eodem modo, ut supra in ea præpositionum collocatione, qua præpositio posteriori substantivo soli additur, iam observavimus. Quod quam verum sit, facile cognosces, si locum, quem modo e Valeri carmine laudavimus, accuratius inspicere velis. Poeta enim verbo transeundi in medio posito id efficit, ut mente nostra terras illas tamquam lente sibi succedentes ac placido cursu præterlabentes conspicere nobis videamur. Idem observari potest in plerisque exemplis, quæ statim allaturi sumus. Nonnunquam hæc membrorum distinctio ita comparata est, ut maior vis vel pondus aliquod ei orationis parti, quæ secundo loco ponitur, accedat, nam verbo finito præmisso exspectatio legentis movetur, et ut ad ea, quæ sequuntur, acrius animum adtendat cogitur. Quamobrem Dillenburger[23], qui id potissimum hoc dicendi genere effici vult, ut verbum ipsum, cui particula adhæret, maiorem inde vim

---

21) v. §. 533 A. 7. not. 2. — 22) v. ad Hor. carm. II. 7. 25. — 23) v. l. c.

accipiat, mihi, quod præcipuum sit, non satis perspexisse videtur, quamquam hoc verum est, verbum nonnunquam singulari illa collocatione apte proferri et augeri, ubi ad sententiam aliquid interest, id quod passim notabimus.

Iam nonnullis exemplis e Valeri scriptis, cui hæc collocandi ratio usitatissima est, id quod diximus, illustremus. Primum igitur particulas *et, aut, vel, nec* eo quo supra dixi modo transpositas habes his locis.

Particula *et:* I. 482: «felix stellis qui segnibus usum et dedit æquoreos cognoscere cursus»; II. 536: «Idæque mater et chorus et summis ulularunt collibus amnes»; VII. 426: «spem mihi promissam per quæ discrimina rursus et reddat qua lege vides» (vox reddendi de eo, qui debita solvit; præclare huius verbi vis collocatione augetur); VIII. 348: «iam videbis non murra corpus Achivi, sed pice, sed flammis et olentis sulphure crines». Eodem modo sine dubio explicanda sunt, quæ I. 530 leguntur: «temptataque contra Pallas et amborum gemuit Saturnia questus» pro: contra Pallas temptata (i. e. Martis Solisque questibus provocata et ad iram incensa [24]) et Saturnia amborum questus gemuerunt.

Particula *aut:* IV. 124: «nec tibi nunc virtus aut det fiducia nostri, nate, animos»; ibid. 445: «non ego nunc, magno quod cretus Agenore Phineus, aut memorem, mea quod etc.» ibid. 600: «quid memorem, quas Iris aquas aut torqueat Ancon?»

Particula *vel:* V. 86: «quos pietas vel tangat adhuc quos æmula virtus»; VI. 213: «hunc age vel cæso comitem me reddite fratri», quod quum Burmannus non intelligeret, ita scribendum esse censuit: „hunc ego (sc. occidam): vel cæso comitem me reddite fratri", „ut abruptus sit sermo"; sed recta verborum series hæc est: hunc age vel me comitem cæso reddite fratri; mutatione igitur opus non est. Hoc loco manifeste probatur, quod supra diximus, vocabula in medio posita non per ellipsin in priore parte omissa esse.

Particula *nec:* III. 70: „nec porta ducem nec pone mora-

---

[24]) v. Thilo, ad h. l.

tur excubias sortita manus"; ibid. 708: «hasta quæ neque iam frondes virides nec proferet umbras". Hac occasione data moneo particulam negativam aliis quoque locis, qui ad hoc de quo agimus dicendi genus proprie non spectant, uno vel pluribus vocabulis interpositis ab ea voce ad quam pertinet removeri, velut: IV. 179, VI. 25, de quibus locis iam supra egimus; III. 122: „nec bella modis nec casibus isdem conseruere" pro: bella nec modis nec casibus isdem; I. 503: „sed non et Scythici genitor discrimine nati intrepidus", ubi sententia postulat, ut verba ita coniungas: non intrepidus discrimine Scythici nati i. e. sollicitus de discrimine; cf. Aen. VI. 86: „sed non et venisse volent" pro: sed et (etiam) volent non venisse. Similiter explicandum est illud Horatii, sat. I. 10, 55: „non ridet versus Enni gravitate minores, cum de se loquitur non ut maiore reprensis" i. e. ut non maiore quam ii, qui reprensi sunt.

Præcipue autem particula *-que* transponi solet, multaque eiusmodi exempla quum apud Horatium tum apud Valerium inveniuntur. Quodsi Zumptius[25]) putat, particulam transpositam nonnisi verbo, quod proprie dicitur, adiungi, hoc non omnino recte dictum est. Nihil enim obstat, quominus particula aliis quoque vocabulis, quæ utrique membro communia sunt, velut substantivo, ex quo duo genitivi pendent, adhæreat; præterea etiam adverbio, quod cum verbo interposito coniunctum est, vel etiam aliis orationis partibus adiungitur. Iam singula exemplis comprobemus.

Particula *que* verbo vel participio adhæret: I. 100: „bellis spectataque fama" pro: famaque; ib. 847: „has pater in sedes . . . natum inducitque nurum"; II. 224: sed temptare fugam prohibetque capessere contra arma metus", pro: armaque capessere; ibid. 401: „tunc Lemnos transitque Electria tellus"; III. 233: „tunc ensis placeatque furor"; ibid. 560: „nil umbra comæque turbavitque sonus"; VI. 384: „scopulis trabibusque diu confectaque flammis".

---

[25]) v. lat. Gramm. §. 358.

Substantivo, quod duobus genitivis intercedit, particula *que* adiuncta est I. 103: „quibus arvorum studiumque insontis aratri"; cf. Hor. carm. II. 19, 28: „pacis eras mediusque belli" et Aen. XII. 904: „sed neque currentem se nec cognoscit euntem tollentemve manu saxumque immane moventem", ubi obiectum duobus participiis commune in medio positum particulam *que* adsumpsit, pro: tollentem moventemque manu saxum immane. Adverbio vel alii verbi finiti attributo particula adhæret I. 844: „ubi sol totumque per annum durat aprica dies", pro: ubi sol et aprica dies totum per annum durant (vis sententiæ posita est in vocabulis „totum per annum"); II. 268: „ipse sinus hederisque ligat famularibus artus", pro: artusque; III. 228: „fundo veluti cum Cœus in imo vincla Jovis fractoque trahens adamante catenas" pro: catenasque, nam vocabula „fracto adamante" ad utrumque pertinent, quia vincla et catenæ prorsus idem significant; VI. 104: „molem belli lateque ferentem undique falcatos deserta per æquora currus" pro: falcatosque currus.

Satis audacter particula *que* transposita est VII. 156: „quando ardor habet leviorque pudori mensque obnixa malo", ubi et subiectum et verbum finitum intercedit, illique particula adiuncta est. Sententia enim hæc est: quando ardor hebet, i. e. minuitur, leviorque mens (sc. Medeæ) pudori maloque obnixa est[25]. Varie mutatum est hoc loco a viris doctis, a Vossio, qui coniecit: leviorque pudore mens obnixa malo, et ab Heinsio, qui vult: leviterque pudori mens obnixa malo. Sed neque dativus *pudori* abesse potest, quum id ipsum poeta dicat, Medeam iam minus pudori, quo ab auxilio Jasoni ferendo arcebatur, restitisse, neque alterum *que* deleri potest, quum pudor ille recte malus vocari nequeat. Malum vero hoc loco dictum est pro cogitatione vel metu mali, illius videlicet, quod Medea metuit, si parentibus posthabitis Jasonem sequatur.

Ex eodem loquendi genere mihi videtur explicandus esse locus primi libri, qui iure inter vexatissimos habetur variisque

---

[25]) Comparativus levior pro adverbio levius i. e. segnius, minus; ut paullo ante v. 142: „cum sævior ipse turbat agitque sopor" et sæpe.

coniecturis temptatus est. Valerius enim v. 501 sq. Jovis ceterumque deorum gaudium, quo magnam Argonautarum expeditionem prosequebantur, describens ita pergit: „una (sc. cum Jove) omnes gaudent superi venturaque mundo tempora quæque vias cernunt sibi crescere Parcæ". Omnis autem difficultas posita est in duplici particula *que*. Quare Thilo[27]) prius putabat, „superi venturaque" dictum esse pro „superique ventura", ita ut voces „superique" et „Parcæque" (quæque . . . Parcæ pro: Parcæque quæ) sibi responderent. Sed postea merito hanc sententiam reiecit, nam talis particulæ transmutatio prorsus inepta esset. Coniectura vero, quam Thilo[28]) deinde proposuit, pro *mundo* coniciens *laudant* vel simile quid, quum nimis artificiosa est, tum ea quæ sequuntur: „quæque . . . Parcæ" nimis languide addita essent; nam hæc sententia evaderet: una omnes gaudent superi venturaque tempora laudant Parcæque, quæ vias cernunt sibi crescere. Neque enim verbum laudandi Parcas pro subiecto habere potest, quia particula *que* obstat. Si vox mundi re vera corruptelæ sedes esset, melius profecto participium aliquod, ex. gr. „tuentes" (pro: -que mundo) scriberes, quod enuntiato relativo responderet. Verumtamen emendatione verba poetæ mihi non indigere videntur, nam recte, ut puto, Burmannus hunc locum interpretatus est, qui hanc esse vult verborum seriem: „una cum Jove omnes superi gaudent et Parcæ, quæ cernunt ventura mundo tempora et vias sibi crescere". Obscuritas enim inde nata est, quod pronomen relativum ab initio sententiæ remotum et duobus accusativis e verbo cernendi aptis interpositum particulam *que*, quæ posteriori accusativo adhærere debuit, adsumpsit. Talem vero particulæ transmutationem a Valeri elocutione non abhorrere et ex iis, quæ supra disseruimus, apparet, et ex loco Horatii, qui sat. I. 4, 17 hæc habet: „Di bene fecerunt inopis me quodque pusilli finxerunt animi" pro: quod inopis pusillique animi me finxerunt. Si igitur eodem modo in Valeri loco rectum verborum ordinem restituis, hanc sententiam habebis: quæque ven-

---

[27]) v. proleg. p. LVIII. — [28]) v. l. c.

tura mundo tempora viasque cernunt sibi crescere Parcæ. Causa vero, cur pronomen relativum priori obiecto postpositum sit[29], fortasse in eo inveniri potest, quod infinitivus crescendi ad solam viarum vocem referendus est.

Nuper in Hirschwælderi dissertationem[30] incidi, qui mutatione huic loco mederi studet, pro *mundo* proponens: *promunt,* et pro *tempora quæque* ex Hertzii coniectura: *tempora aquæque,* ita ut hæc sententia efficiatur: una omnes gaudent superi venturaque promunt tempora aquæque vias cernunt sibi crescere Parcæ. Sed licet hæ coniecturæ, Hertzii præsertim, ingeniosissimæ sint, eis assentiri non possum. Primum enim valde dubito, num *aquæ viæ* simpliciter dici possit pro: *maris vel pelagi viæ,* neque Hirschwælderus hoc probavit; deinde verbum crescendi difficultates parit, quia usus maris ac navium crescere non potuit, quum antea nullus esset; immo unusquisque, qui de viis audit, quas Parcæ sibi crescere vident, cogitabit de viis, i. e. occasionibus mortis[31], quæ mari navigantibus aperto augentur et amplificantur. Manifesto igitur hæc verba causam continent, cur Parcæ gaudeant, neque pronomen relativum abesse potest. Quapropter in Burmanni explicatione acquiesco.

Iam ut hanc de particula *que* quæstionem ad finem perducam, nonnullos locos addam, in quibus præterea hæc particula aliis vocibus, quam ad quas proprie pertinet adiuncta est. Quod tum potissimum locum habet, quum integrum enuntiatum hac particula iis, quæ præcedunt, additur, et vox illa, cui *que* adhærere debebat, liberiore qua poetæ utuntur verborum collocatione, velut per attractionem, quam vocant, ab initio removetur. Cuius rei exemplum habemus in eo loco, de quo modo egimus: „venturaque . . . Parcæ“ pro: Parcæque, quæ ventura etc. Alia exempla habes I. 424 sq. „oraque Thessalico melior contundere freno, vectorem pavidæ Castor dum quære-

[29]) Pronomen relativum apud Valerium sexcenties ab initio enuntiati removetur, v. infra. — [30]) v. Curae criticae in Valeri Flacci Argonautica, diss. inaug. Vratislaviae 1870. — [31]) cf. ex gr I. 32: „letique vias et tempora versat“; VI. 205: „fatisque viam monstrarat iniquis“; Verg georg III 482: „nec via mortis erat simplex etc.“.

ret Helles, passus Amyclæa pinguescere Cyllaron herba“, i. e. Castorque, ora Thessalico freno contundere melior, dum vectorem pavidæ Helles quæreret, Cyllaron Amyclæa herba pinguescere passus (sc. est); II. 506: „non Africus alto tantus ovat, patriisque manus cum plenus habenis Orion bipedum flatu mare tollit equorum“ pro: non Africus alto tantus ovat neque Orion, cum manus patriis habenis plenus bipedum etc. Præterea huc pertinent I. 306 sq: „age rumpe moras, dumque æquore toto currimus, incertus si nubila duxerit æther, iam nunc mitte metus“, quæ sat turbate dicta sunt pro: iamque nunc, si, dum . . . currimus, æther nubila duxerit, mitte metus[32]); II. 182 sq: „non prius ense manus raptoque armabimus igne, dumque silent ducuntque nova cum coniuge somnos, magnum aliquid spirabit amor?“ pro: amorque, dum silent . . . spirabit? VII. 542: „liberne freto iam vultus aperto (sc. sit), utque prius, totum sileat mare“, pro: totumque mare, ut prius, sileat. Insolentius etiam *que* positum est VI. 659: „et iam læta minus præsentis imagine pugnæ castigatque metus et quas alit inscia curas“, pro: metusque castigat et curas, nam metus et curæ duplici particula *que* — *et* inter se coniunguntur.

Quod ad reliquarum coniunctionum, quæ subordinativæ dicuntur, et pronominis relativi collocationem attinet, satis erit nonnullos locos indicasse, quum poetis valde usitatum sit, eas vel ipsi verbo finito postponere; cf. I. 82; II. 270; IV. 48; VI. 140; VII 183; II. 369; VI. 593; I. 418; VII. 19; I. 414.

Et verbum finitum et subiectum pronomen relativum præcedit VI. 640: „Phasiaden pecoris custos de more paterni Caucasus ad primas genuit quem Phasidis undas“ pro: Phasiaden, quem Caucasus etc.; VIII. 49: „serva hanc profugæ, prior ipse dedisti quam (scis nempe) fidem“.

---

[32]) De collocatione enuntiati temporalis v. infra; ceterum cf. Thilo proleg. p. XX.

III.

De nonnullis aliis in collocatione verborum proprietatibus.

More omnium poetarum Valerius per attractionem, quæ dicitur, substantivum, cui pronomen relativum adhæret, enuntiato relativo attribuere solet, præsertim si in utroque enuntiato subiecti vice fungitur. Exempla habes plurima: II. 64 „sed mihi dux, vetitis qui nunquam conditus undis axe nitet serpens"; IV. 94: „ligat hanc, qui nubila contra balteus"; ib. 210: „quique per arcton . . . pontus iacet"; cf. I. 424; 501 etc.

Qua in re sæpe fit, ut adiectivum vel pronomen, quod ad substantivum illud referendum est, in priore sede relinquatur; velut II. 424: „per hunc (sc. oro) utero quem linquis Jasona nostro"; VIII. 48: „serva hanc profugæ prior ipse dedisti quam (scis nempe) fidem"; VI. 181: „necdum clara, quibus sese Fuga mentibus addat" i. e. necdum Fuga clara (certa, græce δῆλος) erat, quibus etc. I. 363: „hic patrium frangit Neptunius æquor, qui tenet undisonam Psamathen semperque patentem Tænaron Euphemus", ubi coniungas: Neptunius Euphemus, qui etc.

Similiter attributum a substantivo sat longe remotum est II. 244: „non ulla meo te carmine dictam abstulerint, durent Latiis modo sæcula fastis" pro: non ulla sæcula, modo durent etc.; VII. 261: „(ratem) qualem nostra suo nunquam dimittere portu vell et adhuc omnes quæ detinet iusula nautas", i. e. nostra insula, quæ etc.

Qua in re quum necesse sit, substantivum enuntiati relativi structuræ accommodari, fieri potest, ut attributum a substantivi casu discrepet, velut VII. 206: „illum ego qui diris cinis ultimus hæserit arvis . . . ossaque componam", i. e. illum cinerem, qui . . . hæserit, ossaque componam. Quamobrem in l. III. v. 592, ubi codices exhibent: „heu miseræ, quibus ille feræ, quibus incidit usquam immeritis per lustra viris", scribendum est: „heu miseræ quibus ille feris etc." Econtra VI. 760 codicum scriptura servanda est: „adgnoscit Jasona armaque quique cava superest de casside vult*us*". Thilo enim Aug. Wagnerum secutus nominativum *vultus* ob præcedens verbum agnoscendi in accu-

sativum *vultum* mutavit, sine causa, ut puto, nam cf. Hor. ep. 6. 7: „agam per altas aure sublata nives, quæcumque præcedet *fera*".

Ex eiusdem attractionis usu locus libri IV. mihi explanari posse videtur, qui ob miram elocutionis brevitatem multarum coniecturarum ansam præbuit. Poeta enim Ponti Euxini vastitatem et amplitudinem describens v. 714 sq. hæc habet:

„Non alibi effusis cesserunt longius undis litora, nec tantas quamvis Tyrrhenus et Aegon volvat aquas geminis nec[33]) desint Syrtibus undæ". Hoc autem poeta dicere vult: non in alio mari litora longius cesserunt effusis undis i. e. longius distant, latiusque mare interfluit neque in mari Tyrrheno et Aegæo, quamvis tantas, tam vastas volvant aquas, neque in geminis Syrtibus, quamvis iis non desint undæ. Valerius igitur attractione usus vocabula „in mari Tyrrheni et Aegæo" et „in geminis Syrtibus" enuntiato concessivo, in quo subiecti vim habent, attribuit eiusque stucturæ accommodavit, hoc modo: non alibi litora longius distant, nec quamvis Tyrrhenus et Aegon tantas volvant aquas, nec quamvis geminis Syrtibus non desint aquæ. Ne vero vocabula *nec quamvis* bis redeant. ea secundo loco omissa sunt, quo factum est, ut particula *non* ante *desint*, ut sententia cohæreat, in *neque* mutaretur. Alterum *nec* enim minime priori respondet, quod significat *ne . . . quidem.* Totum igitur locum ita vertere possis: nicht anderswo treten die Ufer weiter vor den Wogen zurück, auch nicht, obwohl das Tyrrhenische und Aegäische Meer so grosse Wassermassen wälzen, und es den beiden Syrten nicht an Wogen gebricht. Quæ quamquam satis breviter dicta sunt, tamen nullo modo a Valeri dicendi genere, qui brevitatis studiosissimus est, abhorrent[34]).

---

[33]) Codices habent: geminis *et;* quum autem particula negativa opus sit, J. Columbus scripsit *nec,* quam lectionem Thilo recepit.

[34]) Quapropter Phil Wagnero assentiri non possum, qui hanc sententiam verbis poetæ inesse vult (v. Philol. XX. Jahrg S 638 fg.): „So gross auch das ägaische und tyrrhenische Meer ist, so sind sie doch von ihren nördlichen Gestaden aus gemessen, nicht so weit von den gegenüberliegenden Syrten, womit überhaupt die Gestade Africa's be-

Præcipua autem Valeri in verborum collocatione audacia in eo cernitur, quod attributa, adiectiva vel apposita nimis a voce, ad quam pertinent, seiungit. Cuius rei iam supra nonnulla exempla habuimus, ubi de attractione egimus; cf. I. 363; II. 244; VII. 261. Idem observari potest, ubi duo enuntiata particula copulativa vel adversativa coniunguntur; haud raro enim Valerius adiectivum vel appositum priori, substantivum posteriori enuntiato inserit. Exempla habes I. 515: „nube rigens ac nescia rerum stat super et nostros iam zona reverberat ignes“ i. e. zona nube rigens ac nescia rerum; III. 194: „brevis hanc sed fata ferentem prodidit et piceo comitem miserata refulsit luna polo“ i. e. sed brevis luna hanc (hastam) prodidit etc; V. 35: „non tulit Aesonius geminis flagrantia cernens corpora cara rogis, sed pectore ductor ab imo talia voce gemit“, ubi „Aesonius ductor“, i. e. Jason coniungas. Cum hoc loco comparare potes I. 503: „sed non et Scythici genitor discrimine nati intrepidus tales fundit Sol pectore voces“ pro: sed et genitor Sol, Scythici nati discrimine non intrepidus (maxime de eo sollicitus), tales etc.; et III. 604: „ipse vel excelsi cum densa silentia montis strata vel oblatis ductor videt æquora ventis“ i. e. ipse ductor cum videt etc.

Eadem verborum diremptio interdum locum habet, ubi substantivum non subiecti vim habet, ut VI. 100: „hiberni qui terga Noæ gelidumque securi eruit et tota non audit Alazona ripa“, ubi accusativum *Alazona* cum adiectivo *gelidumque* conjungas; VII. 117: „aut venit in caræ gremium refugitque sororis.“

Præterea attributum a voce sua nimis seiunctum deprehendi his locis: III. 6: „Bacchum . . . sed quem sua noto colle per angustæ Lesbos freta suggerit Helles“, ubi „sua Lesbos“ coniungas, nam hæc est verborum series: dant vinum, quod sua Lesbos noto colle per angustæ Helles freta suggerit; II. 337: „forsitan hoc factum taceat iam fulmen in antro“, i. e. hoc in

zeichnet werden, entfernt, als die sich entgegenstehenden Gestade des Pontus von einander“. Proinde ultimum versum ita constituit: „volvat aquas tantum geminis a Syrtibus absunt“, quæ emendatio nimis a librorum scriptura recedit, quam ut eam probare possim.

antro; VII. 375: „qualis adhuc teneros supremum pallida fetus mater ab excelso produxit in aëra nido hortaturque sequi brevibusque insurgere pinnis", ubi adiectivum *supremum* sane nimis longe a voce aëris disiunctum est. Disiecta enim membra poetæ, ut Aug. Wagneri verbis utar, ita disponenda sunt: qualis mater pallida fetus adhuc teneros a nido excelso in aëra supremum (i. e. æthera) produxit. Prorsus singularis ac vitiosa attributi collocatio est VI. 429: „cum Juno Aesonidæ non hanc ad vellera cernens esse viam, nec sic reditus regina parandos"; unusquisque enim hæc legens in voce reginæ, quæ cum Junone coniungenda est, hærebit.

His locis ii addi possunt, quibus nomen eius, qui loquens inducitur, verbo *ait* præmisso paullo inusitatius sermoni insertum est, velut II. 575: „nos" ait „ad Scythici" Tirynthius „ostia ponti raptat iter"; III. 143: „has, precor, exuvias et opima cadavera" Nestor „linquite" ait; ib. 377: „dicam" ait „ac penitus causas labemque docebo" Mopsus, et astra tuens etc."; V. 129: „vos mihi nunc pugnas" ait „et victricia" ductor „Herculis arma mei etc.". Similiter tres vocativos diversis locis sermoni interpositos habes VIII. 181: „meminique, o Tiphy, tuorum saxa per illa, pater, memini, venerande, laborum".

Nonnunquam sententiæ obscuritas inde exoritur, quod Valerius negligentior est in collocatione enuntiatorum, quibus temporis significatio continetur. Sæpius enim eiusmodi enuntiata iis orationis partibus, quibus interponi vel quæ sequi debebant, præmittit, quo fit, ut interdum iustus sententiarum nexus mirum quantum turbatus sit. Quod Thilo recte monet, ubi versatur in explicatione loci primi libri, v. 306. sq.[35]) Valerius enim dicturus: iam nunc mitte metus, si incertus æther, dum æquore toto currimus, nubila duxerit, enuntiatum temporale, quod sententiæ hypotheticæ inserendum erat, præmisit, hoc modo: „age rumpe moras dumque æquore toto currimus, incertus si nubila duxerit æther, iam nunc mitte metus". Similem negligentiam habes in eodem libro v. 765 sq., ubi mater Jaso-

---

[35]) v. proleg. p. XX.

nis se morituro Aesoni comitem fore affirmat: „nec fata traham natumque videbo te sine, sat cœli patiens, cum prima per altum vela dedit, potui quæ tantum ferre dolorem" pro: quæ potui tantum ferre dolorem, cum prima (i. e. primum) per altum vela dedit; VIII. 161, ubi mater Medeæ cum Jasone aufugientis loquitur: „hoc erat, infelix, (redeunt nam singula menti), ex quo Thessalici subierunt litora remi, quod nullæ te, nata, dapes, non ulla iuvabant tempora (pro: dies festi)", i. e. quod te, nata, ex quo . . . subierunt, nullæ dapes etc.

Horum exemplorum numerus, quibus satis iam, ut puto, ostenditur, quantopere Valerius in verborum collocatione nonnunquam a communi usu recesserit, facile aliis augeri potest; cf. I. 848: „tum porta quanta sinistra pœna docet maneat Pelian", i. e. tum docet, quanta pœna porta sinistra maneat Pelian (portam sinistram ingressurum); II. 222: „pars conferre manus etiam magnisque paratæ cum facibus", ubi vox *paratæ* ad solum infinitivum *conferre* referenda est: manus conferre paratæ magnasque faces manibus gerentes; III. 444: „quin etiam truncas nemorum effigiesque virorum rite locat quercus"; hoc loco appositionem, quam vocant, positam habes inter adiectivum et substantivum illique particula *que* adiunctam, pro: truncas nemorum quercus, quæ essent virorum effigies; VI. 403: „Romanas veluti sævissima quum legiones Tisiphone regesque movet, quorum agmina pilis, quorum aquilis utrinque micant", ad quem locum Thilo hæc notat:[36]) „aut *quorum* vitiose repetitum est, aut vitiosa verborum collocatio, quæ hæc esse debebat: quorum pilis, quorum aquilis agmina utrinque micant".

Talis vero pronominis relativi repetitio frequentissima est apud Valerium; cf. I. 418: „non metuat cui regna ratis, cui tradere cœlum"; ibid. 768: „præveniat quo fine minas, quo (sc. fine) fata capessat digna satis"; ib. 812: „quæ fida manus, quæ cara suorum diripiat etc."; III. 94: „pendent corda metu, quibus illa fretis, quibus incidat arvis"; ibid. 252: „quem Nocte satæ, quem turbidus horret armipotens"; ib. 505: „quis arma

---

[36]) v. proleg. p. XXI.

volens, quis agmina iungat"; ib. 592: „heu miseræ, quibus ille feris, quibus incidit usquam etc." IV. 179: „non quæ dona deum, non quæ trahat ætheris ignem"; VI. 355: „quem pelagi rabies, quem nubila, quemque sequatur ille dies"; ib. 414: „artus quos radii, quos frena secant"; ib. 581.: „nunc quo se raperet, nunc quo diversus abiret, ante videns, quotque unus equos, quot funderet arma" etc. Quum igitur, ubi novum membrum inducitur, Valerio usitatissimum sit, pronomen relativum repetere, in loco de quo agitur *quorum* dupliciter positum genuinum habendum, et ut repetitio recte locum habeat, cum ablativis *pilis, aquilis* necessario coniungendum est.

Quod si admittis, vox agminum recta esse non potest. Nemo enim non videt, Valerium pro: quorum pilis, quorum aquilis agmina micant, non potuisse scribere: quorum agmina pilis etc., quum unusquisque, qui hæc legit, „quorum agmina" necessario coniungat. Quapropter pro hac voce alia reponenda est, talis, quam nemo ad pronomen relativum referat. Hanc mihi invenisse videor scribens: *æquora* (i. e. campi), quæ vox Valerio valde usitata est, ubi de exercitibus et pugnis loquitur. Eandem et in plurali quidem numero et absolute sine genitivo positam habes: III. 107: „compressaque mandens æquora"; VI. 105: „late ferentem undique falcatos deserta per æquora currus; VII. 469: „hanc iace per medias, cum verteris æquora, messes"; ib. 547: „vos mihi nunc primum in glebas invertite tauri æquora" et paullo post 553: „effusis pandi iubet æquora tauris"; VI. 29, qui locus propius ad nostrum accedit: „Mars sævus ab altis „hostis io" conclamat equis „agite, ite, propinquat", ac simul hinc Colchos, hinc fundit in æquora Persen". Quodsi hanc vocem in textum recipis, Valerius quidem de negligentia excusari nequit inter genitivum pronominis relativi et substantivum aliud vocabulum interponens, sed similem negligentiam admisit in eodem libro VI. 524: „horrentia cuius discolor arma super . . . chlamys ardet". Error vero facile evenire potuit librario, qui statim post pronomen relativum vocem expectabat, ad quam illud referri possit.

Præterea verborum series turbata est VIII. 226: „præci-

pueque sui, si quando, in tempore pulcher coniugii Minyas nunquam magis eminet inter“ pro: Jason præcipue, si quando, in tempore coniugii sui pulcher, nunquam magis inter Minyas eminet.

IV.

De ellipsi verbi esse.

Unicuique qui Valeri carmen modo inspexerit paucosque versus legerit, id statim in promptu erit, Valerium plus solito ellipsin verbi *esse* admittere. Omnino enim hoc verbum omittere solet, ubi non necessario requiritur, ita ut hac in re optimè cum Tacito comparari possit. Nam præter coniugationem periphrasticam, quæ dicitur, verbum *esse* sæpissime omittitur, ubi cum adiectivo, pronomine, adverbio, substantivo coniunctum est, atque etiam ubi non copulæ, sed verbi substantivi, quod proprie dicitur, vim habet; neque tertiæ tantum personæ formæ, sed primæ et secundæ quoque et indicativi et coniunctivi formæ sæpius omissæ sunt.

Quod tum potissimum fieri solet, quum affectus et fervor quidam sermoni subest; quare in interrogationibus et exclamationibus præsertim hanc ellipsin observare potes atque iis locis, quibus poeta rem vel actionem aliquam describens celeritatem, qua singuli actus sese sequuntur, tamquam depingere, vel singulas res, quæ describuntur, tamquam uno tenore sub oculos nostros subicere vult. Poeta enim omnia, quæ ad sententiam exprimendam non omnino necessaria sunt, omittens id assequitur, ut oratio omnibus supervacaneis tamquam abscisis maiorem vim et plus nervorum accipiat. Ceterum id moneri potest, hanc omissionem Valerio maxime usitatam esse, quum vel dativus personæ, cui aliquid sit, vel attributum cui localis notio inest, ubi aliquid sit, additur.

Jam exempla nonnulla afferam, unde Valeri dicendi genus cognoscas.

Affectus loquentis exprimitur III. 697 sq: „quis terris, pro

Jupiter, inquit, Achæis iste dies! . . . non hi tum flatus, non ista superbia dictis, litore cum patrio, iam vela petentibus austris, cunctus ad Alciden versus favor; iamne animis, iam gente pares atque inclyta vulgi dextera? nulla fides, nulli super Hercule fletus? nunc Parthaonides, nunc dux mihi Thracia proles?" — IV. 467 sq: „tune ille Odrysiæ Phineus rex inclitus oræ? tu Phœbi comes et nostro dilecte parenti? o ubi nunc regni generisque ubi gloria?" — V. 651: „non tibi Aloidæ, quibus hæc fera murmura iactas, non Lapithæ, sed Pallas"; cf. VI. 537: „non pascua nec bos hic tibi". — VII. 37 sq: „tu prima malorum causa mihi, tu Phrixe gener; non te æquore mersum, quo soror; quis regum Pelias, quis Thessalus aut quæ Græcia? quodnam hominum cerno genus? aut ubi cautes Cyaneæ? cf. VII. 529; VIII. 148 sq.

Brevem et nervosam locorum vel personarum descriptionem habes I. 836 sq., ubi Valerius de duabus Tartari portis loquitur: „ast aliam temptare nefas et tendere contra; rara et sponte patet, siquando pectore ductor (adde: advenit) vulnera nota gerens, galeis præfixa rotisque cui domus, aut studium mortales pellere curas, culta fides, longe metus atque ignota cupido". — II. 647 sq.: „vestra fides ritusque pares et mitia culta his etiam mihi corda locis; procul effera virtus Bebrycis et Scythici procul inclementia sacri". — VI. 471, ubi Veneris cingula describuntur: „nec pietas quibus aut custodia famæ, non pudor; at contra levis et festina cupido adfatusque mali dulcisque labantibus error et metus et demens alieni cura pericli".

Sæpe etiam ubi singulæ actionis vel rei alicuius partes describuntur, Taciteo more subiecta sine ullo attributo, quod prædicati locum teneat, proxime se sequuntur, ita ut non simplex copula mente addenda sit, sed verbum substantivum (da sein, sich befinden). Hac dicendi ratione vis descriptionis mire augetur, cf. ex. gr. I. 137 sq. descriptionem picturarum, quibus Argonautarum navis exornata est: „contra ignis viridique torus de fronde dapesque vinaque et æquoreos inter cum coniuge divos Aeacides pulsatque chelyn post pocula Chiron; parte alia Pholoe multoque insanus Jaccho Rhoetus et Atracia subitæ de

virgine pugnæ". — II. 628: „rarior hinc tellus atque ingens undique cœlum rursus et incipiens alium prospectus in orbem". — III. 402 sq. Tartari descriptionem habes: „stant tacitæ frondes immotaque silva comanti horret verna iugo; specus umbrarumque meatus subter et Oceani præceps fragor arvaque nigro vasta metu et subitæ post longa silentia voces". — IV. 181 sq. Amyci antrum describitur: „at varii pro rupe metus, hinc trunca rotatis bracchia rapta viris strictoque immortua cæstu ossaque tætra situ et capitum mæstissimus ordo". — II. 475: „principio morbi cœloque exacta sereno temperies; arsere rogis certantibus agri, cum subitus fragor et fluctus Idæa moventes cum stabulis nemora"; cf. IV. 490: „cum subitus misero tremor et pallentia primæ ora senis fugere manus". — VI. 184 initium pugnæ describitur: „continuo hinc obitus perfractaque cædibus arma corporaque, alternus cruor alternæque ruinæ"; cf. VII. 268 pugnam Jasonis cum viris armatis, qui e draconis dentibus nascuntur: „spes nulla datur, sic undique densant terrigenæ iam signa ducis, clamorque tubæque", ubi ultima vocabula solutiore modo addita sunt. Poeta enim, ne ea quæ simul facta sunt vel statim se excipiunt, completa verborum serie nimis distrahantur, singulas voces, quibus singula rerum momenta indicantur, tamquam cumulat, de iusto sententiarum nexu minus sollicitus, ut hac ratione celeritatem, qua res ipsa procedit, quodammodo imitetur. Quo fit, ut interdum in oratione indirecta aliquot nominativi adiungantur, licet sententiarum nexus accusativum casum postulet, ut III. 576 sq., quæ ex mente Herculis Hylan quærentis dicta sunt: „densam interea descendere noctem iam maiore metu; tum vero et *pallor* et amens cum piceo sudore rigor".

Simili modo infinitivi historici ad celeritatem depingendam cumulantur IV. 42: „tum lacrimis, tum voce sequi, tum rumpere questus" et VII. 612: „bellatrix tunc gleba quati pariterque creari armarique phalanx totisque insurgere campis". Utrumque, et nominativum et infinitivum, coniunctum habes II. 524 sq., ubi pugna Herculis cum belua marina filiam Laomedontis devoratura describitur: „iam brevis et telo volucri non

utilis aër; tum vero fremitus vanique insania cœpti et tacitus pudor et rursus pallescere virgo", [37]) i. e Hercules fremitus edebat, vanique insania cœpti menti eius obversabatur; deinde eum puduit timuisse; virgo vero pallescebat. Vide, in quam pauca verba tot sententias contraxerit. — Aliis quoque locis infinitivus historicus, cuius usus apud Valerium latissime patet, cum verbo finito, cui copula deest, coniungitur, cf VIII. 220 sq. Similiter participium, cui aliqua verbi *esse* forma cogitatione addenda est, et verbum finitum sæpissime se excipiunt, nunquam tamen ita, ut idem subiectum maneat[38]); velut I. 618; II. 186; III. 120, 196, 357 sq. Idem extra coniungationem periphrasticam locum habet: I. 294; II. 325, 327; III. 51 etc.

Eadem ratione in brevibus sententiis verbum *esse* nonnumquam omttitur ad celeritatem indicandam, ut III. 46: „rupta quies"; V. 601: „nec requies"; ib. 60 et 558: „haud mora".

Præterea in his formulis Valerius verbum *esse* omittere solet: fas est, nefas est, turpe est, æquum est, patrium est, fama est, mos est, spes est, tempus est, locus est, mens est. Exempla habes I. 508: „an meritos fas et mihi rumpere questus?" ib. 835: „ast aliam temptare nefas et tendere contra"; III. 381: non, si . . . perpetimur, fas ideo miscere neces"; ib. 414: „me iam cœtus accedere vestros haut fas interea"; VII. 208: „fas tunc mihi (sc. erit) manes dilexisse viri"; ib. 419: „sic te sub teste remitti fas (sc. erat) me, virgo, tuum?" — I. 361: „sed turpe viro timuisse futura"; IV. 261: „sed te non animis nec solis viribus æquum credere"; II. 157: „adde cruentis quod patrium sævire Dahis". — ib. 159: „sed me quoque pulsam (sc. esse) fama viro"; V. 553: „nec ferus Aeëtes (sc. est), ut fama, nec aurea nobis terga negat". — VII. 95: „mos iussa pati nec cedere duris" (sc. mihi est); IV. 170: „spes tamen, his fando si nuntius etc."; V. 551: „an patriam spes ulla videndi, fare"; II. 381: „dum spes mihi sistere montes". — IV. 447: „nec mihi . . . flere domos aut dulcia tempus lumina"; ib. 451: „fallere quos nunquam misero locus";

---

[37]) cf. Tacit. ann. II. 82; hist. IV. 29. — [38]) cf. Haase ad Reis. §. 455, 2.

I. 199: „nec nunc mihi iungere montes mens tamen"; III. 256: „nec terga ruentum mens Minyis conversa sequi". — I. 477: „tuæ tibi cura ratis . . . sors tibi, nequa parte trahat tacitum puppis mare"; IV. 209: „hic mihi lex cæstus adversaque tollere contra bracchia"; cf. præterea I. 294; IV. 156; V. 481 etc.

In descriptionibus deinde vel responsis, ubi nomina personarum breviter indicantur, verbum *esse* omittitur, ut II. 636: „rex divitis agri Cyzicus"; IV. 101: „rex Amycus"; ibid. 757: „hic tibi Pollux"; V. 582: „quem rogitas, Carmeius" (sc. est); ibid. 590: „illum, ait Aesonides, pariter refer"; iam respondet Aeëtes: „dives Aron"; cf. ib. 590 et 593. Ex hoc loquendi genere mihi videtur defendi posse locus primi libri, ubi v. 352 sq. Argonautæ eo ordine, quo in transtris sedes habuerunt, enumerantur. Primum igitur poeta dicit, Telamonem in sinistra, Herculem in dextera parte primum locum obtinuisse: „hinc lævum Telamon pelagus tenet, altior inde occupat Alcides aliud mare"; deinde ita pergit: „cetera pubes dividitur: celer Asterion, quem etc." quod satis ambigue additum est, nam dicere vult: hinc, i. e. ex Telamonis parte, celer Asterion sequitur; cf. in eodem libro 436 sq.: „hic numerosa phalanx, proles Cyllenia: certus Aethalides subitas nervo redeunte sagittas cogere; tu medios gladio bonus ire per hostes, Euryte etc.". Quapropter mutationibus, quas Burmannus et Hirschwælderus[39]) proposuerunt, ille pro „celer" *sedet*, hic *calet* coniciens, supersedere poterimus, nam neque verbi finiti omissio adeo a Valeri dicendi ratione aliena est, neque ambiguitas illa, qua in dubio relinquitur, in utra parte Asterion sedem obtinuerit, his mutationibus tollitur. Equidem hunc locum in eorum numerum referre malim, quos Valerius emendaturus fuisset, si carmen suum retractare potuisset.

In enuntiatis porro, quæ subordinata vocantur, præter enuntiata relativa, in quibus copula sexcenties omissa est, et interrogationes indirectas, de quibus infra agetur, formæ indicativi sæpissime omissæ sunt post coniunctiones temporales:

---

[39]) v. dissert. p. 7.

ubi cf. II. 384; IV. 653; V. 54, 443; VI. 113; *ut* cf. III. 43, 516, 720; *quum* cf. II. 477, 700; IV. 490, 641, 731; VII. 321; IV. 19; *dum* cf. I. 606, II. 381, V. 334; *simul* (pro *simulac*) cf. IV. 88; *priusquam* cf. V. 347. Coniunctivi forma *esset* post coniunctionem *ubi* omissa est IV. 379: „aut ubi ægra siti".

Post coniunctiones causales *quod, quia, quoniam, quando* (pro *quoniam*), *quum* et indicativi et coniunctivi formæ omissæ sunt his locis II. 264: „stabilem quando optima facta dant animum maiorque piis audacia cœptis"; ib. 398: „thalamos excussaque vincla quod ausæ (sc. sint) induere"; III. 345: „nam quia nec proles alius nec denique sanguis"; V. 532: „interea quoniam belli pugnæque propinquæ cura prior"; VII. 332: „cum tibi tot mortes scelerisque brevissima tanti effugia" (sc. sint).

Post coniunctionem concessivam *quamquam* copula aliquando deest, si participium futuri passivi sequitur, ut I. 149: „hæc quamquam miranda viris stupet Aesone natus"; III. 370: „ipse etiam Aesonides, quamquam tristissima rerum castiganda duci vultuque premenda sereno, dulcibus indulget lacrimis". Inusitatius dictum est III. 599: „nec parvus Hylas, quamquam omnibus æque grata rudimenta" (sc. eius erant). Sæpius vocabula *quamquam, quamvis, quamlibet* adiectivo vel participio vel ablativo absoluto adiunguntur (ut græce *καίπερ*), ubi nihil omissum est; cf. I. 309: „ille pavens læto quamquam omine divum"; ib. 360: „hinc quoque missus adest quamvis arcentibus Idmon alitibus"; IV. 520: „famulas Jovis quas fulmina quamquam ægidaque ille gerens, magnas sibi legit in iras"; ib. 610: „non ita sit metuenda tibi sævissima quamquam gens Chalybum"; V. 480: „nec tua Thessalicis quamquam inclita nomina terris, sponte sequor"; VIII. 113: „et aëriam quamvis perfertur ad ornum"; ib 410: „ac prior ipsa dolos et quamlibet intima sensit signa viri". Similiter *quoniam* adhibitum est (ut græce *ὡς*) VIII. 320: „non sinit extrema Minyas decernere pugna, nec numero quoniam Colchis nec puppibus æquos".

Jam singulas copulæ formas, quarum ellipsis paullo durior est, accuratius persequamur. Huc pertinent formæ *sum, sumus;*

es, estis; eram, erat, erant; erit; — *sim, sit, sitis, sint; esset, essent; fuerit.* Primum igitur de indicativi formis agemus.

Formæ primæ personæ *sum, sumus, eram* omittuntur a poetis, si pronomen personale additum est. Quod in Valeri carmine factum est his locis: II. 471: „non ego digna malis" (sc. sum); IV. 213: „Neptuni domus atque egomet Neptunia proles" (sc. sum); ib. 312: „Pollux ego missus Amyclis et Jove natus"; ib. 444: „non ego nunc magno quod cretus Agenore Phineus memorem", nam ipse Phineus hæc loquitur; ib. 463: „nam rex ego divitis Hebri";[40] V. 476: ipse egomet proprio de sanguine Phrixi"; VIII. 430: „nullis ego digna periclis?" Forma *sumus* omissa est II. 473: „nos Ili felix quondam genus". Forma *eram* I. 343: „tales, tales ego ducere suetus atque sequi".

Multo durior primæ personæ omissio est, si pronomen personale non additur, velut VII. 73: „ipse incertus adhuc (sc. sum), tenebris te protinus illis involvi flammisque velim etc."; nam vocabula: ipse incertus etc. in initio novæ sententiæ posita sunt neque in modum appositionis, quæ dicitur, ad præcedentia referri possunt. Similiter V. 658: „quod tamen aggressæ scelus, aut quo crimine sontes, si iuvenem . . . iuvimus?", ubi forma *sumus* sat audacter omissa est. Comparari potest singularis licentia, qua Græci post vocem ἕτοιμος sæpius formam εἰμί omittunt, etiamsi pronomen personale additum non est[41]). Falso autem huc refertur IV. 161, ubi Otrei socius interrogatus, qui sit, respondet: „nomen, ait, prædulce mihi nomenque secutus Otreos unanimi; decus ille etc.". Nam vox *secutus* hoc loco re vera participii vim habet, neque necesse est de ellipsi formæ *sum* cogitare; immo aliud verbum ex iis, quæ præcedunt, mente addendum est, quale est: huc veni. Interrogatio enim hæc erat: „Bebryxne venis diversaque regi corda gerens? hostis an externis fato delatus ab oris?" iam respondet: „nomen secutus" (sc. veni).

Forma secundæ personæ eodem modo sæpe omissa est

---

[40]) cf. Aen. I. 617: „nam Polydorus ego". — [41]) v. Krüger gr. Sprachl. §. 62, 1. A. 5.

addito pronomine personali, præsertim in interrogationibus, cf. IV. 242: „tune e sociis electus iniquis?“ ib. 467: „tune ille Odrysiæ Phineus rex inclitus oræ?“ VII. 37: „tu prima malorum causa mihi, tu, Phrixe gener“; ib. 223: „tu nunc mihi causa viarum sola“. Similiter hæc forma deest in enuntiato relativo, quod pronomini personali secundæ personæ adiungitur VII. 498: „per te, quæ superis divisque potentior imis“ (sc. es) et IV. 674, ubi pronomen quidem personale non adest, sed particula vocativi satis exprimitur: „sequor, o quicunque deorum“. Forma *estis* deinde pronomine *vos* præcedente deest V. 150: „vos quoque non notæ mirati vela carinæ, Mossyni etc.“ et paullo durius in interrogatione, pronomine non addito II. 51: „an non experti (sc. estis) subitus cum etc.“. Magis etiam *estis* desideratur IV. 650: „ubi nunc promissa superba ingentesque minæ, mecum quibus ista secuti“ (sc. estis).

Formæ imperfecti *erant, erat* tam sæpe omissæ sunt, ut opus non sit multa exempla afferre, cf. statim in initio primi libri v. 23: „iam gravis et longus populis metus (sc. erat); illius amnes (sc. erant) etc.“ et paullo post v. 34 sq.: „Cleonæo iam tempora clusus hiatu Alcides (sc. erat); olim Lernæ defensus ab angue Arcas (sc. erat), et ambobus iam cornua fracta iuvencis“ (sc. erant).

Forma futuri *erit* sæpe omissa est in interrogationibus et exclamationibus, velut III. 515: „et mihi gentis ullus honos?“ IV. 524: „mox tamen et vobis similis fuga“; ib. 707: „unde per hos iterum montes fuga?“ V. 624: „quæ studiis, rex magne, quies?“ VI. 487: „tales quando tibi cernere reges?“ VII. 272: „spes et via sola salutis, quam dederit, si forte dabit“, ubi omissio sat dura est, pro: spes et via sola salutis erit ea, quam etc., cf. præterea I. 172, II. 303 etc.[42]).

Jam vero quod ad coniunctivum adtinet, præsentis tempo-

---

[42]) In sedecim illis versibus libri octavi, qui in nonnullis codicibus reperiuntur (v. apud Thil post v. 135), quosque omnes præter unum Weichertum Valerio merito abiudicarunt, formam eris omissam habes: „dulcique carebis coniugio læta et nunquam prædone marito“ sc. eris, quæ omissio ferri vix potest.

ris formæ sæpissime omissæ sunt, ubi coniunctivo vis potentialis inest, plerumque ita, ut aliud verbum in coniunctivo positum antecedat vel sequatur, velut prima persona *sim* V. 652: „neque ego ægide digna (sc. sim), nec vocer ulterius proles Jovis". Tertia persona omissa est IV. 155: „namque isti frustra concurrere monstro audeat, et quænam talem vidisse voluptas?" V. 481: „cui non iusso·tot adire voluptas monstra maris?" ib. 493: „quis mihi lucis amor? patriam cur amplius optem?" Coniunctivus imperativi loco positus deest II. 133: „hinc tibi principia" sc. sint.

In oratione indirecta copula tum potissimum omittitur, quum in oratione quoque directa abesse solet, i. e. in interrogationibus indirectis, quæ vocantur. Qua in re idem monendum est, quod supra, plerumque alium coniuntivum vel præcedere vel subsequi. Exempla habes II. 66: „sic ait, et certi memorat qui vultus Olympi (sc. sit), quo sidere vibret etc."; ib. 251: „ne quære, quis auctor"; III. 75: „nec quæ regio aut discrimina cernunt, cur galeæ clipeique micent"; V. 452: „nondum noscentibus, ille quis labor (sc. sit), aut quæ secet etc., ib. 516: „sciat effera regis ira, quem te sortitus (sc. sit) Caucasus atque tuis quantum mitescat habenis"; ib. 639: „quantus ibi deus (sit) experiere"; VI. 661: „respiciens, an vera soror"; VII. 542: „liberne freto iam vultus aperto (sit) utque prius, totum sileat mare"; III. 51: „vox omnes super una tubas, qua conus et enses (sint), qua trepidis auriga rotis" (sit); IV. 204 „nec qua via curve profecti (sint) ante rogat"; V. 467: „rogitant, quid ausi quidve ferant", i. e. quid ausi sint.

Forma *sitis* singulari licentia omissa est IV. 438: „novimus et divis geniti quibus, et via iussos quæ ferat", pro: quibus divis geniti sitis. Forma denique *fuerit* audienda est V. 138: „audit quantus duce terror in ipsa (de Amazonibus loquitur), qui furor in signis (sc. fuerit), quo balteus arserit auro".

Præterea coniunctivi formas his locis omissas deprehendi V. 630: „num queror, exstructa quod vexerit ipsa carina . . . quodque palam tutata viros?" (sc. sit). In libro VII. v. 159 Vaticanus hæc habet: „sum memor, ut tecum mecum partita

laborem", ubi „tecum" manifesto corruptum est. Certo tamen conici potest, vocem eiectam a litera *t* incepisse. Quapropter Thilo[43]) ingeniose hunc locum emendavit suspicans *tu sis.*

Nam etsi recte dici non potest, Valerium „perraro coniunctivum verbi substantivi suppressisse", tamen hoc certum est, omissionem coniunctivi plerumque aliis coniunctivis additis tamquam mitigari, neque, quod sciam, aliud exemplum in Valeri carmine reperitur, ubi forma *sis* omissa sit. Saltem ut secundæ personæ omissio ferri posset, alius coniunctivus præcedere vel sequi debuit. Itaque Thilonis coniectura probanda videtur.

Post coniunctionem causalem formam *sint* omissam habes VII. 332: „cum tibi tot mortes scelerisque brevissima tanti effugia" (sc. sint); et in oratione obliqua II. 398: „vidui nunc illa silentia tecti sæva magis (sc. esse), thalamos excussaque vincla quod ausæ (sc. sint) induere atque iterum tales admittere curas".

Formæ imperfecti *esset, essent* omissæ sunt post coniunctionem hypotheticam I. 51: „si mihi, quæ quondam, vires (sc. essent) . . . videres", et in eodem libro v. 336: „o si mihi sanguis (sc. esset) . . . posuissem"; et post coniunctionem temporalem *ubi* IV. 379: „ubi vel fessi tremerent erroribus artus, vel rueret . . . aut ubi ægra siti" (sc esset).

Forma denique infinitivi *esse* sæpissime audienda est, etiam extra coniugationem periphrasticam, præsertim in oratione obliqua; cf. II. 395 sq.: „sibi mœnia linqui en iterum, et quando natorum tempora, gentem qui recolant, qui sceptra gerant; nunc triste nefandæ noctis opus, vidui nunc illa silentia tecti sæva magis"; V. 299: „nil quippe reperto Phaside, nil domitis actum (sc. esse) Symplegados undis, cunctaque adhuc, magni veniant dum regis ad urbem, ambigua et dubia rerum pendentia summa".

Postremum hoc loco moneri potest, Valerium aliquoties vocem *super* adhibuisse pro *superest,* ut græce ὕπο pro ὕπεστι; v. I. 345: „nunc ille dies, (det Jupiter oro) ille super, quo etc."; VIII. 157: „vellus habe et nostris si quid super accipe

[43]) v. proleg. p. LVII.

templis"; ib. 435: „nec spes ulla super". Hoc vocabulum enim tamquam adiectivi vim accepisse videtur, cf. Aen. III. 489: „o mihi sola mei super Astyanactis imago", i. e. superstes, et Valerium VII. 642: „nec quisquam primus ruit, aut super ullus linquitur".

V.

De nonnullis locis brevi vel abrupto loquendi genere obscuris.

In libro tertio narratur, Hylan puerum Herculi dilectissimum, dum cervum a Junone suscitatum avidius persequeretur, a Dryope nympha ereptum ac frustra deinde ab Hercule omnes silvas saltusque perlustranti quæsitum esse. Jam poeta v. 598 ad ceteros Argonautas rediens, qui in litore remanserant ægro animo amborum reditum expectantes, ita pergit: „At sociis immota fides, austrisque secundis certa mora est, nec parvus Hylas, quamquam omnibus æque grata rudimenta, Herculeo sub nomine pendent". Codices nullam scripturæ varietatem præbent, nisi quod in Vaticano reperitur *moraes* pro *mora est*. Difficultas autem posita est in vocabulis „nec parvus Hylas", quæ prædicato carent. Quapropter hic locus a viris doctis multis coniecturis temptatus est, quas longum est enumerare, neque ex omnibus, quæ proponuntur, ulla est, quæ ullo modo sufficere possit. Equidem hunc quoque locum inter eos numero, qui non satis emendati a Valerio relicti sunt, et verba illa talia, qualia sunt, e poetæ manu effluxisse puto. Habemus enim hoc loco speciem quandam solutioris illius dicendi rationis, quam grammatici anacoluthon vocant. Nam hoc dicere vult poeta: sociis certum fuit ulterius morari et fides adhuc immota; neque tamen parvus Hylas, quamquam omnibus æque gratus est, eos retinet sed Hercules. Intercedente autem enuntiato concessivo poeta inceptam structuram deserens posteriorem sententiæ partem magis poetice ita expressit, ut Herculis nomen, quod subiecti locum obtinere debebat, mutata oratione in alio casu poneretur, tamquam præcederet: nec sub parvo Hyla. Præterea

particula adversativa, ut sæpissime fit, ad vim antitheseos augendam omissa est[44]).

Paullo post Jason Argonautas dubios, utrum Hercules absens opperiendus sit, an relinquendus, v. 623 sq. ita alloquitur: „consulite et motis seu vos via flatibus urguet, pergite et inceptos mecum revocate labores, seu plures tolerare moras rursusque quæsivisse iugis pretium haud leve temporis acti". Quum igitur infinitivi *tolerare* et *quæsivisse* nihil habeant, unde pendeant, Burmanni coniectura, qui *plures* mutavit in *pluris*, ob facilitatem probanda videtur, ita ut *est* omissum sit, quam ellipsin Valerio in formulis: fas est, æquum est etc. usitatam esse supra ostendimus. Jam vero ea, quæ sequuntur, mihi multo aptiorem et magis poeticam sententiam referre videntur, si hæc verba ita componis: seu vos via flatibus urguet, pergite et mecum priores labores revocate, seu pluris est moras tolerare rursusque iugis quæsivisse; iam addas: manete; et deinde Jason pergit: pretium temporis acti haud leve est. Altera enim apodosis ex priore facile intelligitur, cuius rei exemplum quamquam ex latini sermonis scriptoribus mihi non præsto est, tamen non dubito, quin inveniri possit. Græci saltem poetæ similem dicendi brevitatem in particula εἴτε admiserunt, velut Euripides Jon 1120: „πεπυσμέναι γὰρ εἰ θανεῖν ἡμᾶς χρεών, ἥδιον ἂν θάνοιμεν, εἴθ' ὁρᾶν φάος"; et Sophocles Oed. R. 91: εἰ τῶνδε χρῄζεις πλησια-

[44]) Video, Thilonem quoque codicum scripturam defendere (v. proleg. p XVI. sq.) sed ita, ut ex iis, quæ proxime antecedunt, ad vocabula „nec parvus Hylas" verbum, quale est moratur, addendum esse dicat, quod minus rectum puto. — Quod ad particulæ adversativæ omissionem attinet, exempla habes plurima, velut in eodem libro v. 364: „bis zephyri iam vela vocant; fiducia maestis nulla viris"; ib. 384: „nec in ventos, nec in ultima solvimur ossa; ira manet duratque dolor"; ib. 717 ante: „fata trahant" et 736 ante: „urit amor"; IV. 74 ante: „orantem procul arcet"; ib 147: „non hic ullos reverentia ritus pectora; mors habitat saevaeque hoc litore pugnae"; V. 480: „meque nec huc enses araeque egere paternae, nec tua Thessalicis quamquam inclita nomina terris; sponte sequor"; VII. 628: „totique occurrere bello ipse cupit; spes nulla datur".

ζόντων κλύειν, ἕτοιμος εἰπεῖν, εἴτε καὶ στείχειν ἔσω".[45]) Extrema autem verba eo modo, ut supra dixi, aptissime ab Jasone adduntur, qui ipse Herculis fortitudinem magni æstimans eo inclinabat, ut reditum eius diutius exspectarent, omnique modo moras nectere studet, cf. 604 sq. et 717. Ceterum, si hanc explicationem admittis, ante verba: „pretium etc." fortior distinctio (:) ponenda est.

Deinceps narratur, maximam sociorum partem vehementer flagitasse, ut cursus Hercule derelicto continuaretur; unum Telamonem Herculis partes suscepisse ceterisque se opposuisse. Jam vero ea, quæ Telamon ob eam causam loquitur, tam abrupte et breviter dicta sunt, ut sat difficile sit rectum sententiarum nexum cognoscere. Valerius enim singulas res non tam expressisse quam indicasse videtur, quas postea fusius et accuratius exponeret. Verba Telamonis hæc sunt, et oratione quidem obliqua, quam vocant, perscripta (v. 640 sq.): „idem orans prensatque viros demissaque supplex hæret ad ora ducis, nil se super Hercule fari, sed socio quocunque gemens: quamquam aspera fama iam loca, iamque feras per barbara litora gentes, non alium contra Alciden, non pectora tanta posse dari". Interpretes in hoc loco propterea hæserunt, quod postrema verba: „non alium . . . posse dari" apodosin esse voluerunt ad enuntiatum concessivum; sed *quamquam* hoc loco idem valet, quod nostro sermone: gleichwohl, indessen. Hæc igitur Telamon dicere vult: se nolle plura de Hercule dicere eiusque fortitudinem prædicare, neque enim ob eam causam se Herculis partes tueri, sed si necesse esset, pro unoquoque sociorum se verba facturum de eiusque iactura æque doliturum esse; attamen negari non posse, Herculem tanti roboris virum acerbe desiderari, quum iam in eo essent, ut periculosissimas regiones adirent, neque alterum existere, qui Herculem fortitudine æquaret. Inusitate adhibitum est participium *gemens*, quia oratio obliqua accusativum casum expostulat. Sed similem negligentiam Vale-

[45]) cf. Oed. Col. 638 sq: *εἰ δ' ἐνθάδ' ἡδὺ τῷ ξένῳ μίμνειν, σέ νιν τάξω φυλάσσειν· εἰ δ' ἐμοῦ στείχειν μετα τόδ' ἡδύ* — adde *στείχειν κελεύω*.

rius III. 576 admisit, de quo loco supra egimus. Participium autem ita interpretandum est: talem se loqui, qui de cuiusvis socii iactura gemiturus esset.

Jam poeta v. 645 ita pergit: „rursum instimulat ducitque faventes magnanimus Calydone satus, potioribus ille deteriora fovens semperque inversa tueri durus et haud ullis unquam superabilis æquis rectorumve memor". Præcipuam difficultatem movet vox *potioribus*, quam interpretes in eam partem intellexerunt, ut ablativus casus esset, pro: præ potioribus deteriora fovens. Quem ablativi usum quum admitti non posse Eyssenhardtius[46]) videret, mutatione verba sanare conatus est, scribens: potior quibus ille deteriora fovens, i. e. iis, qui favebant, potior; sed merito Phil. Wagnerus hanc coniecturam reiecit[47]). Thilo deinde ita hunc locum explanari posse existimat, ut verbum fovendi idem significet, quod: magis sequi, magis amare, et *potioribus* sit ablativus comparationis, quem dicunt[48]). Sed etsi concedimus, hanc vim verbo fovendi inesse, tamen minime, ubi comparativus verbo continetur, particula *quam* abesse potest. Recte enim, reor, Reisigius dicit: „Eine Verbindung des Ablativs statt *quam* ist in einem solchen Falle ganz unzulässig (ubi comparativus abest), weil die Vergleichung bei einem Ablativ erst begriffen werden kann, wenn die äussere Construktion sie zu erkennen gibt; aber der blosse Positiv bedarf erst selbst eines äusseren Kennzeichens der Vergleichung".[49]). Neque VII. 428, quem locum Thilo ad omissionem comparativi *magis* probandam allegat, particula *quam* deest.

Phil. Wagnerus deinde brachylogiam Græcis inprimis usitatam hoc loco invenire vult, ita ut *potioribus deteriora* dictum sit pro: deteriora quam ea, quæ potiores (i. e. digniores) fovent. Comparat Herodoti locum II. 134: *πυραμίδα ἀπελίπετο πολλὸν ἐλάσσω τοῦ πατρός*, i. e. *ἐκείνης*, *ἣν ἀπελίπετο ὁ πατήρ*[50]). Hac

---

[46]) v. Rhein. Mus. 17. Jahrg. S. 387. — [47]) v. Philol. XX Jahrg. p 623. — [48]) v. proleg. p XV. — [49]) v. l. c. §. 227 et Haase ad h. l., qui monet, rectius dici, particulam quam per se solam iam significare magis quam; eo minus profecto omitti potest. — [50]) v. Philol. l. c. — Similem brachylogiam Valerius habet II. 226: „notaque sonat vox coniuge maior", i. e. nota voce coniugis maior.

explicatione ablativus non ad verbum fovendi, sed ad alterum comparativum pertineret. Sed multo faciliorem aptioremque explicationem mihi invenisse videor, vocem *potioribus* dativum interpretans et cum verbo fovendi coniungens; id tamen Wagnero assentior, *potioribus* masculini generis esse et significare homines digniores, viros virtute præstantiores, cf. Hor. II. sat. 5, 76. Sententia igitur hæc est: Calydone satus, i. e. Meleager ille, qui potioribus, i. e. contra potiores, deteriora fovet, qui viris virtute excellentibus semper iniquus est. Dativus enim est dativus commodi vel incommodi, quem vocant, et comparari potest V. 651: „quibus hæc fera murmura iactas", i. e. in vel contra quos. Sententia autem, quæ hac explicatione efficitur, maxime consentanea est. Nam velim consideres sententiarum nexum. Telamon Herculis fortitudinem egregie prædicaverat: „non alium contra Alciden, non pectora tanta posse dari" (v. 644); ceteri vero nimia sui fiducia elati Herculem parvi æstimabant: „unum tanto afore cœtu, nec minus in sese generis dextrasque potentes esse ferunt" (v. 630); inprimis autem Meleager eos instimulat faventesque (i. e. sibi faventes) ducit, notus ille, qui semper viris præstantioribus invidiosus est eorumque consilia semper in peiorem partem interpretari studet, cf. ea, quæ v. 676 sq. de Hercule dicit: „ille vel insano iamdudum turbidus æstu, vel parta iam laude tumens consortia famæ despicit ac nostris ferri comes abnuit actis". Vide hominem invidiosum et criminandi cupidum, qui potioribus viris semper deteriora fovet!

Nisi omnia me fallunt, hæc interpretatio multo meliorem sensum poetæ verbis subicit, quam si cum Wagnero explicas: Meleagrum solitum fuisse deteriora studia sectari, quam ea, quæ viri digniores et præstantiores sectari solent.

Jam vero ea, quæ sequuntur: „semperque inversa tueri durus" cum nostra explicatione optime congruunt. Hæc enim ita intelligo, ut *inversa tueri* eodem modo dictum sit, quo *transversa tueri* II. 154: „pellicem, quam iam miseros infantes transversa tuentem cerno".[51]) Describitur igitur homo invidus

---

[51]) cf. praeterea I. 38: „tum iuvenem tranquilla tuens nec fronte timen-

et malignus, qui omnia male interpretatur, quique omni æquitate seposita („nullis unquam superabilis æquis") in optimis consiliis semper habet, quod reprehendat. Neque verbum invertendi aliam explicationem admittit; nam verba: „inversa tueri durus" significare non possunt: pertinax in sententiis oppositis tuendis, i. e. defendendis, sed *invertere* idem valet, quod nostrum: umdrehen, verdrehen; cf. Hor. sat I. 3, 55: „at nos virtutes ipsas invertimus atque sincerum cupimus vas incrustare", quæ Dillenburgerus ita interpretatur: „homines aliorum mores non tales iudicare solent, quales sunt, sed in praviorem speciem a se maligne conversos". Valeri igitur verba ita vertenda sunt: hartnäckig Alles verdreht anzuschauen, i. e. hartnäckig im Verdrehen.

Priusquam commentationi nostræ finem imponimus, pauca lubet addere de singulari brevitate, quæ nonnunquam in præpositionum usu locum habet. Sæpius enim, ut sententia completa sit, participium aliquod mente addendum est, velut post *a* præpositionem, ubi sola adhibetur ad indicandum, unde aliquid veniat, verbo movendi non addito: III. 229: „tardumque a mœnibus agmen increpitat", i. e. agmen tarde a mœnibus, ex urbe appropinquans; VII. 645 sq: „qualis Getico de pulvere (adde: revertens) Mavors intrat equis uritque gravem sudoribus Hebrum aut niger ex antris rutilique a fulminis æstu (adde: recedens) cum furit et Siculo respirat in æquore Cyclops"; VII. 604: „equus recens a telluris hiatu", i. e. equus modo ex percussa et diffissa terra surgens vel natus; prorsus similem dicendi rationem habes ibid. 621: „primas a matre manus", i. e. manus primas a matre (e terra) emergentes.

---

dus occupat"; II. 555: „illum torva tuens rex subit" (*ὑπόδρα ἰδών*). Quod ad accusativum adiectivorum adverbii vi positum adtinet, comparare potes I. 47: „tam saeva gementem"; ib 262: „magnum sonantes"; II. 453: „flebile succedens"; III 198: „vana sonantem"; ib. 229: „acerba fremens"; ib. 349: „luctificum clangente tuba"; V. 169: „grave vociferans"; VII. 8: „pavidum sic fata est"; ib. 215: „flebile gaudens"; ib. 362: „immortale virens"; ib. 476: „summissa profatur".

Non minore brevitate Valerius usus est in præpositionibus *ante* et *post*, ubi temporis momentum indicaturus, antequam vel postquam aliquid factum est, præpositiones illas substantivo, cui temporalis notio non subest, adiungit participio non addito. Qua de re P. Langen in commentatione sua de usu præpositionum Tertullianeo inscripta accurate disputavit, cuius verba hæc sunt:[52] „Quod sæpissime apud omnes scriptores reperiri solet, *ante* (vel *post*) præpositionem esse coniunctam cum substantivo tempus vel actionem certo temporis momento vel factam vel futuram indicanti, ut *ante mortem, ante meridiem*, id translatum videmus ad alia quoque substantiva ita, ut iam sola præpositio tempori notando adhibeatur". Quapropter, ut idem monet, vel participium mente addendum est, vel etiam tota sententia *antequam* (vel *postquam*) coniunctione præcedente.

Ex hoc igitur loquendi genere interpretanda sunt VII. 11: „non hæc mihi certe nox erat ante tuos, iuvenis fortissime, vultus", i. e. antequam vultus tuos conspexissem; et V. 77: „illum (Bacchum) post acies rubrique novissima claustra æquoris hic resides thiasos etc." i. e. postquam novissima æquoris rubri claustra (mare Indicum) attigit et extremos Orientis fines peragravit.

Simili brevitate præpositio *per* tempus indicans, dum aliquid fit, adhibita est VIII. 8: „crinemque genasque ante per antiqui carpsit vestigia somni", i. e. dum antiquum illud somnium in mentem revocat, ubi Weichertus[53]) falso præpositionem *per* idem significare vult, quod *propter* vel græce *διά*; cf. I. 173: „tua per suspiria"; VI. 35: „quis fretus equis per bella virisque" i. e. in bellis gerendis; ib. 755: „ut fera Nyctelii paulum per sacra resistunt Thyiades" i. e. in sacris celebrandis.

Præpositio *in* denique ablativa per se solam sæpe rem indicat, qua quis indutus vel circumdatus est, velut IV. 22: „ecce puer summa se tollere visus ab unda frondibus in croceis, i. e. frondibus croceis redimitus; II. 174: „has inter medias Dryopes in

---

[52]) v. de usu praep. Tert., Monasterii 1868, I. pag. 8 sq. et 13.

[53]) v. comment. in librum VIII.

imagine mæstæ flet Venus", i. e. formam Dryopes induta. Poetæ igitur hunc usum latius extendentes præpositionem *in* etiam de iis rebus adhibent, quæ non proprie indui possunt, sed quas aliquis secum gerit, ut arma, hastam, iacula, aliaque huiusmodi, ubi ex sententiarum nexu participium aliquod mente addendum est. Exempla sunt apud Valerium II. 554: „et ignotis iuvenem mirantur in armis", i. e. ignota arma gerentem; VI. 171: „patriis Absyrtus in armis"; ib. 265: „parte alia infestis in armis Styrus adest"; VIII. 136 „hinc subitis inflexit frater in armis"; IV. 747: „illuc cunctis accensus in armis tunc aderam", i. e. omnibus copiis meis tamquam circumdatus, vel cum toto exercitu meo; — I. 641: „cum subitus trifida Neptunus in hasta cæruleum caput extulit", i. e. trifida hasta, tridente armatus[54]); similiter V. 462: „pariterque levi Cytisorus in hasta"; IV. 281: „fixaque silet Gradivus in hasta", i. e. innixus, cf. VIII. 133: „rapta victor consistit in hasta".

Postremo moneo de diverso usu, quo præpositiones *in* et *ad* cum verbo stupendi coniunguntur. Nam id quod I. 262 de Achille puero prædicatur: „stupet in ducibus" significat, Achillem cum admiratione in viris contemplandis defixis oculis hæsisse, cf. V. 375: „stupuit in solo duce, nec minus ille hæret in una defixus", ubi Valerius Vergili meminisse videtur, qui Aen. I. 495 habet: „dum stupet obtutuque hæret defixus in uno", et X. 446: „miratus stupet in duce"; — quod vero IV. 712 legitur: „freta ad subitam stupuere ratem" indicat, freta subito navis adventu tamquam exterrita et attonita oculos illuc convertisse, cf. III. 264: „pavet ad crines et tristia Pentheos ora" et VII. 623: „ad diræ quam quum Tirynthius hydræ agmina Palladios defessus respicit ignes"; — hic terror, illic admiratio exprimitur.

[54]) cf. Aen. V. 37: „horridus in iaculis".

THESES CONTROVERSAE

QUAS UNA CUM

DISSERTATIONE

QUAE INSCRIPTA EST

DE

VALERI FLACCI DICENDI GENERE QUAESTIONES

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXIV. MENSIS IUNII A. MDCCCLXXII.

IN PUBLICO DEFENDET

MATTHIAS SCHMITZ,

PRESBYTER COLONIENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

JOSEPHUS BREUER, PRESB. COLON.
BERNARDUS ENGBERS, PRESB. CINCINNAT.
AUGUSTUS KREKELER, CAND. PHIL.

MONASTERII,

EX TYPOGRAPHIA FRID. REGENSBERG.

MDCCCLXXII.

THESES.

I. Libros, qui Valeri Flacci Argonauticis desunt, non temporum iniuria deperditos esse, sed Valerium ipsum carmen suum non ad finem perduxisse maxime verisimile est.

II. Valde errant, qui in historica linguæ latinæ explicatione vocalem coniunctivam (Bindevocal) omnino reiciendam esse censeant; immo hæc vocalis stirpe ipsa iam in vocalem desinente haud raro terminationi præmissa invenitur.

III. Lucretius philosophus ingenii vi et acumine ceteros, qui inter Romanos philosophiæ operam dederunt, facile superat.

IV. In Soph. Antig. versus 572: *ὦ φίλταθ᾽ Αἷμον, ὥς σ᾽ ἀτιμάζει πατήρ* recte Antigonæ tribuitur.

V. Hor. sat. I. 1, 4. „annis“ contra Bouherii coniecturam „armis“ tuendum est.

VI. Iniuria, ut puto, Stilicho imperium Romanum orientale pro Eucherio filio suo affectasse arguitur.

VII. In enarranda literarum historia melius agunt, qui scriptores secundum singula literarum genera, in quibus sunt versati, recensent, quam qui chronologiam sequuntur.

VIII. Pœna mortis non est ob nimium humanitatis studium abroganda.

VITA.

Natus sum Matthias Schmitz Idibus Martiis a. h. s. XLVII. in vico, cui nomen est Langerwehe, prope Marcodurum sito, patre Joanne, matre Maria Catharina e gente Kempen, quam morte mihi ereptam valde lugeo.

Fidem profiteor catholicam. Literarum primordiis domi imbutus primum gymnasium Marcoduranum et deinde per tres annos gymnasium Novesiense frequentavi, unde maturitatis testimonio munitus a. LXIV. demissus sum. Studiis philologicis operam daturus eodem anno ad almam Bonnensem literarum sedem me contuli, ubi per duo semestria scholis vv. dd. Hilgers, O. Jahn, Kampschulte, Neuhaeuser, Ritschl, Schaarschmidt, Walter simulque seminarii historici exercitationibus, v. d. Kampschulte directore, interfui.

Sequenti deinde anno studia philologica ad tempus intermittens, ut in s. theologiæ studium incumberem, cl. theologorum ordinem, qui Tubingis floret, et uno post anno almam universitatem Lovaniensem adii. Studiis theologicis ad finem perductis in seminarium Coloniense receptus et a. LXIX. a Rev$^{\underline{mo}}$ et Ill$^{\underline{mo}}$ Archiepiscopo Paulo Melchers sacris ordinibus initiatus sum.

Quo facto statim hanc almam academiam Monasteriensem, ut studia philologica repeterem, petii et per quinque deinceps semestria docentes audivi vv. dd. Langen, Niehues, Parmet, Rospatt, Stoeckl, Storck, Winiewski.

Omnibus his viris optime de me meritis gratias ago quam maximas semperque gratum animum me servaturum esse polliceor.